GAUDEO

contains also No 180



John Carter Brown.

BOUND BY HAYDAY

0848

CAROLI CLVSII ATREBAT.

Rariorum aliquot ſtirpium per Hiſpanias obſeruatarum Hiſtoria,

LIBRIS DVOBVS expreſſa:

AD MAXIMILIANVM II. IMPERATOREM.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini, Architypographi Regij:
M. D. LXXVI.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio cautum eſt, ne quis alius præter Chriſtophorum Plantinum, librum hunc, cui titulus eſt, *Caroli Cluſij Atrebat. Rariorum aliquot ſtirpium per Hiſpanias obſeruatarum Hiſtoria, libris duobus expreſſa*, intra ſexennium imprimat, aut alibi impreſſum in ſuas ditiones importet, venalémve habeat. qui ſecùs faxit, pœna fiſco Regio exſoluenda multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expreſſum eſt, Dato Bruxellæ penultima Iulij, anno M. D. LXXV.

Subſig.

I. Blijleuen.

INVICTISSIMO POTENTISSIMOQVE ROMANORVM IMPERATORI MAXIMILIANO II. &c.

HERBARVM *gloriam,* INVICTISSIME IMPERATOR, *Ægypto tribuit Homerus; Æſchylus Italiam, Dioſcorides Cretam, alij hanc atque illam regionem à Plantarum vbertate commendauêre.*

IN *ea verò ſum opinione, Hiſpaniam cum illis omnibus de hac gloria certare poſſe, ſi quis diligenter perluſtraret. Cuius rei coniecturam ex eo facio, quòd, dum octimeſtri ſolummodo ſpatio, eam, neq; totam, & veluti curſim peragrarem, plurimas ad-*

modum raras, nec alibi conſpectas plantas, iſtic naſcētes obſeruauerim.

ITAQVE, *licet tot clariſsimorum doctiſsimorumq́ue virorum, qui rei Herbariæ ſtudium illuſtrarunt, lucubrationes hodie extēt, quæ vniuerſam plantarum hiſtoriam complecti videātur: adeò tamen immenſa (ne dicam infinitam) earum eſt varietas, vt ſemper aliquid noui, ad earū pleniorem cognitionem, diligenti hominum obſeruatione & ſtudio accedere poſſe putem.*

EAM *ob cauſam, non prorſus inutilem operam me nauaturum exiſtimaui, ſi qualeſcunq; ſtirpium in Hiſpaniis obſeruatarū deſcriptiones darem: præſertim cùm pleræq; ſint Veteribus quidem deſcriptæ, ſed à Recentioribus minimè hactenus obſer-*

uatæ, & nonnullæ etiam Veteribus forſitan ignotæ.

ILLVD *ſanè polliceri poſſum, cùm in illarum hiſtoriis deſcribendis, tum imaginibus ad viuum exprimendis ſummopere elaboraſſe, vt nihil à veritate alienum, nihil quod ipſe non obſeruauerim, in medium proferrem.*

CÆTERVM S. C. M$^{tis.}$ V. *nomini primum hunc mei ingenij fœtum conſecraui, cuius ſub tutela & patrocinio in lucem prodiret. Etenim quem alium, quàm Dominum meum clementiſſimum, & hoc ſtudio maximè ſe oblectantem, illi patronum deligerem?*

NEC *aſpernabitur (vt ſpero)* S. V. M. *tenue hoc munuſculum, quod ex variis Hiſpaniæ locis collectũ*

conflaui: ſed pro ingenita ſua clementia benignè ſuſcipiet.

DEVS OPTIMVS MAXIMVS *Chriſtiano orbi* S. V. M. *diutiſsimè ſeruet incolumem, & omnes ipſius conatus fortunare dignetur. Viennæ Auſtriæ, Kal. Januarij,* CIↃ. IↃ. LXXV.

S. C. M. V.

Obſequentiſſimus ſeruus

Carolus Cluſius.

BENEVOLO LECTORI.

DECIMVS jam agitur annus, quòd maximam ſtirpium, quas hoc libello exhibeo, partē per Hiſpanias obſeruauerim. In iſta peregrinatione plurimarum formam, natales, & nomina memoriæ cauſa adſcripſi, nonnullarum etiam effigies ipſe carbone aut rubrica delineaui, atque omnes ferè inde rediens exſiccatas detuli; aut earum ſemina, vel ipſas etiam plantas, quæ videlicet vecturæ tarditatē ferre potuerunt (quales ſunt bulboſæ & tuberoſę) amicis inde miſi.

REDVCEM amici ſedulò monuerunt, vt meas obſeruationes in publicum proferrem; & quem ex hac peregrinatione fructum retuliſſem, eum rei herbariæ ſtudioſis ne inuiderem.

TAMETSI verò plurimas cauſas adferrem, quæ me ab hoc inſtituto meritò deterrere debebāt: euicerunt tamē,

vt me facturum reciperem. Eáque adeò de cauſa, biénio pòſt, induſtrium & diligẽtem pictorem nactus, ſtirpium icones in tabellis ligneis depingendas curaui, & plerunque etiã ipſi pictori adſtiti, vt de his quæ in ſiccarum plantarum forma exprimenda diligentiùs erãt obſeruanda, commonefacerem.

DELINEATAS jam & inciſas tabulas Chriſtophorus Plantinus Regius Architypographus, vir optimus & diligentiſſimus cùm haberet: reſtabat vt deſcriptiones illi traderem quas prælo committeret.

VERVM & miſeræ patriæ ruina, & domeſticæ calamitates meum animum ita perturbarunt, vt nihil ſcribere, nihil commentari poſſem, nec ſemel prouinciæ ſuſceptæ pœnituerit. Subſecutæ deinde peregrinationes, & ingenij quædam diffidẽtia, non leuem cauſam præbuere, quo minus deſcriptiones abſoluerem: præſertim cùm cogitarem tot clariſſimorum virorum doctiſſimas lu-

cubrationes

cubrationes extare, qui in hac palæſtra egregiè exercitati eſſent.

HAEC mihi dicenda exiſtimaui, vt omnes huius tã diuturnæ moræ cauſas intelligant: nec etiam cuiquam nouum videatur, ſi pleraſque ſtirpium effigies in hoc libello conſpexerit, quas apud alios, qui ſuas lucubrationes ante me ediderunt, viderit. Ea enim ſunt veræ amicitiæ vincula, vt illam nihil peculiare, nihil ſibi proprium habere putem: ſed quæcunque habent amici, liberaliter inter ſe communicare debere.

INDE factum eſt, vt clariſſimus vir Rembertus Dodonæus, nunc Cæſareus medicus, veteri amicitia mihi conjunctus, quas ex meis iconibus voluerit, liberè in ſuam Purgantium hiſtoriam intulerit. Ego viciſſim eadem libertate fretus, Anemones quatuor generum, Ariſtolochiæ longæ vulgaris, quam & Sarracenicam Galli appellant, & Chamæſyces effigies, quoniam meo argumẽto

 deſeruie-

deſeruiebant, ex eodem libro deſumpſerim.

RELIQVVM eſt, vt beneuolum lectorem rogem, has meas obſeruationes boni conſulat, & ſicubi hallucinatus fuerim, non malignè carpat, ſed amanter commonefaciat; illudq́ue cogitet, neminem tam ſolidè doctum, aut in ea arte quam profitetur adeò exercitatum, quin interdum ceſpitare & labi poſsit.

CAROLI CLVSII RARIORVM STIRPIVM HISTORIÆ,

LIBER PRIMVS.


STIRPIVM, quas in Hiſpanica mea peregrinatione obſeruaui, hiſtoriam ſcripturus, ordo poſtulare videtur, vt à deſcriptione arborum initium faciã: deinde ad frutices, ſuffrutices, & virgulta progrediar, nonnullas ἀλλοκαύλους etiam ſuo loco repoſiturus. Hæc autem omnia priore libro complecti, reliquas verò ſtirpes in ſecundum reiicere animus eſt.

De Dracone arbore.
CAP. I.

A Paucis prodita eſt huius Arboris hiſtoria, eaq́; admodum mutila. Libuit itaque eam hîc ſubiicere, atque ab illa noſtras obſeruationes auſpicari, quandoquidem valdè rara eſt, in noſtra præſertim Europa, & Herbariis hactenus (ni fallor) incognita.

EST verò *Draco (etenim aptius nomen non inuenio) procera arbor, Pinum procul intuentibus referens, adeò æquales, ſempérque virentes ſunt rami. Huic truncus craſſus, octo aut nouem bicubitales ramos, æquales & nudos ſuſtinens: hi rurſus in ſummo finduntur, & in alios ternos aut quaternos ramos cubitales aut paulo ampliores, brachialiſque craſſitudinis deſinunt, nudos item & ſine foliis, qui in ſummo geſtant capita plena cubitalium foliorum, maiuſculi pollicis latitudine, in medio denſiorum & eminentiore quodam modo coſta, vt ſunt Iridis* Draco arbor.

Draco arbor.



folia, tenuium verò & rubentium in lateribus, quæ mucronem planè repræſentant, ſempérque virent: naſcuntur verò ea Aloës aut Iridis modo, altero alterum amplexante. Truncus perquam ſcaber eſt, multiſque rimis dehiſcens, ex quo per Caniculæ æſtus humor emanat, qui in rubram lacrymam denſatus, Sanguis Draconis appellatur, ob quam ſanè cauſam, ipſam arborem Draconem nuncupaui. Materia trunci firma eſt, ferrúmque difficulter admittit, quòd veluti fibris tranſuerſim & obliquè excurrentibus conſtet: at rami, cùm multo ſucco prægnantes ſint, ſatis facilè cædi poſſunt.

Eam arborem Olyſippone primùm vidi anno humanæ ſalutis 1564. poſt monaſterium Diuæ Virgini ſacrum, cui nomen à Gratia, octo palmorum craſſitie, monachis ignotam & neglectam; quámque neque florem neque fructum ferre aſſererent: rem tamen aliter ſe habere poſteà deprehendi, ramulo ſiue racemo ex illa ipſa arbore anno ſequente reuulſo donatus ab amico. Eſt autem hic ramus (quem etiamnum apud me cum aliquot foliis corticiſque fragmento, & lacryma meis manibus exempta ſeruo) pedali ampliorive longitudine, cui inhærent alij ramuli multo fructu racematim compacto onuſti. Fructui color flaueſcens, ſapor aliquantulum acidus, magnitudo exigui ceraſi. Eum in ſummis capitibus naſci veriſimile eſt, vt in Palma Dactyli naſcuntur: ſpatha tamen vti illos includi non intellexi.

Hîc etiam prætermittendum non duxi, capita hujus arboris recentia tenella eſſe, & Palmarum humilium ſiue Chamæriphes modo, cujus cerebrum ſeu medulla in deliciis eſt, edi poſſe, niſi amaritudo prohiberet.

APVD *Veteres neminem iſtius arboris mentionem facere inuenio, niſi fortè ea ſit quam Strabo ex Poſidonio Gadibus naſci tradit libro Geograph. tertio his verbis:* Arbor Gadenſis Poſidonij.

De Arbore Gadibus exiſtente ſcriptis prodidit Poſidonius,

ſidonius, quæ ramos humum vſque incuruatos habeat; frondes ſæpiſſimè mucronis ſpeciem geſtantes, quarum ad cubitum longitudo eſt, latitudo verò digitorum quatuor. Huic & illud innatum eſſe traditur, quòd vno fracto ramo lac effluit: quòd ſi radicem abſcideris, minij humor exſudat.

Verùm neque noſtra hæc arbor ramos incuruatos, ſed erectos, neque folia tam lata habet, neq; illius ramis effractis lac exſudat, at humor aqueus duntaxat. Quod de radice adſcribit, ſatis noſtræ quadrare videtur, è qua ſecundum radices terebrata lacrymam ſtatis anni temporibus effluere aiunt rubram, vt poſteà dicemus.

CÆTERVM *illud hîc etiam obiter annotatum volo, quoniam in Gadium mentionem incidimus, me, tametſi diligenter totam inſulam perluſtrarim, nullam arborem conſpexiſſe qualem Poſidonius ſcribit: ſed neq; vllam aliã, præter aliquot ſalices, & vnam aut alteram Siliquam, licet (vt ab incolis viris fide dignis accepi) circa vrbem Gades, recenti adhuc memoria, lætiſſima viridaria fuerint, omni fructiferarum arborum genere excultiſſima, quorum ne veſtigia quidem nunc apparent, ſaburra arenacea, quam naues eò appellẽtes exonerarunt, omnia complente & exurente.*

Ex recentioribus binos duntaxat hanc arborem deſcribere memini, ſed ſuccinctè admodum, vti dixi.

Aloiſius Cadamuſtus libro Nauigationum cap. 4. ejus in hæc verba meminit:

Sanguis Draconis.

In inſula Portus ſancti (vna hæc eſt ex Canariis) eſt Sãguis Draconis, qui lacryma eſt arboris: nam ſtato anni tempore arbores ferro ſauciant; quæ vbi ſunt inciſæ, anno ſequente gummi emittunt per inciſiones, quod ahenis decoctum & defecatum, ſanguis efficitur quem appellant Draconis. Ejus arbor producit fructũ Ceraſi inſtar menſe Martio, guſtu eximium, coloris Veneti.

POST

POST hunc Theuetus in ſua America ſeu Francia antarctica cap. 5. deſcribit. Cujus verba (nam Gallicè ſcripſit) ſic reddidi:

Eſt arboris genus in Canariis inſulis, quod certis anni diebus gummi exſudat, Sanguinem Draconis vocant, ad arboris radices amplo atq; alto facto foramine. Ejus fructus luteus eſt, magnitudo Ceraſij noſtratis, vtilis valde ad ſitim leuandam, ſeu adſit febris, ſeu non adſit. Non eſt diſſimile hoc gummi Cinnabari cujus meminit Dioſcorides. Hæc Theuetus. Cinnabaris Dioſcoridis.

ET ſanè id gummi quod apud diligentiores quoſdam pharmacopolas inuenitur, quodq; Sanguinem draconis in lacrymis appellant, magna ex parte è Madera & Canariis inſulis in Europam inuehitur: & forſitan etiam ex Aphrica, quæ Cinnabarim Dioſcoridis tempore ſubminiſtrabat.

AN hæc arbor alicuius momenti ſit in vſu medico, neminem ſcribere memini: fructus tamen aciditas argumẽto eſt vtiliter in febribus (vt cẽſet Theuetus) præberi poſſe.

Ejus lacryma adſtringendi vi pollet, ejuſq; vſus non infelix ad muliebres & dyſentericas fluxiones, cruentas excreationes, firmandos commotos dentes, & roborandas gingiuas.

Quæ facultates admodum ſimiles ſunt eis quas Dioſcorides Cinnabari tribuit, quámque Hæmatite lapillo efficaciorem facit. Hanc ob cauſam, non abs re exiſtimant celebriores Medici, Sanguinem illum Draconis exquiſitum, legitimam Dioſcoridis Cinnabarim eſſe, præſertim cùm ejus tempore à nonnullis etiam Sanguis Draconis appellata ſit.

De

De Perſea. CAP. II.

VALDE *rara etiam hæc eſt arbor, cujus ramum hic expreſſum damus: nam ſolo Valentino regno vnicam arborem vidi, in monaſterio Diuæ Virginis, cui cognomen de* IESV, *primo ab vrbe Valentia lapide. Ex America eò delata fertur.*



PORRO

PORRO *hæc arbor Pyro ſimilis eſt, in latum diffuſa, perpetuáq; coma virens, ramulis ex viridi palleſcentibus. Folia illi Lauri latifoliæ, parte ſuperna virentia, inferiore verò cinerei coloris, firma, neruis aliquot per obliquum diſcurrentibus, odore & ſapore commendata, cum adſtrictione linguam mordicantia. Flos Lauri ferè, copioſus, racematim cōpactus, pallidus, ſex foliolis conſtans. Fructus per initia Pruno ſimilis, deinde ſucceſſu temporis pyri in modum oblongus, nigro colore, jucundoq; ſapore: nucleum cordis effigie cōtinet, guſtu Caſtaneæ, aut dulci Amygdalæ haud abſimili. Vere florentem conſpexi, Autumno maturum fructum ferre intellexi à Cl. V. D. Joanne Placa Medico & Profeſſore Valentino, qui mihi illam quo nunc dixi loco cōmonſtrabat, incoliſq;* Mamay *dici aſſerebat: tametſi qui nobis Americam deſcripſerūt Hiſpani, alıam atque ab hac diuerſam arborem hoc nomine inſigniant. An verò hæc arbor Veterum Perſea ſit, nec ne, diſpiciendum eſt:* Perſea.

THEOPHRASTVS *lib. 4. de Plantarum hiſtor. cap. 2. Perſeam in hunc modum deſcribit:*

Eſt in Ægypto alia quoque arbor Perſea dicta, aſpectu magna formoſáq;: folio, flore, ramo, totáq; figura, potiſſimum pyro vicina, niſi quòd altera folio perpetuo, altera deciduo eſt. Fructum abundè parit, omnique tempore perficit: quippe nouus anniculum ſemper occupat. Maturitas Eteſiarum flatu conficitur: reliquum crudiorem auferunt & recondunt. Eſt magnitudine pyri, figura oblongus, amygdalæ modo, colore herbidus, nucem intus quemadmodum prunus continens, verùm longè minorem molliorémq;: carnē vehementer dulcem, ſuauem, concoctúq; facilem: nihil enim eos qui cōederint tentat. Radice arbor exſuperat, tum longitudine tum etiam craſſitudine multitudineq;: materiem robuſtam, & viſu gerit decoram, atram vt lotus, &c. Perſea Theophraſti.

SIMILI modo, iiſdemq́ fere verbis eam Plinius deſcribit lib. 13. cap. 9. ſub Perſicæ arboris nomine, voces ipſas commiſcens, quas tamen lib. 15. cap. 13. apertiſſime ſejungit & diſtinguit.

Perſicæ, inquit, arbores ſero & cum difficultate tranſiere, vt quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hoſpitium. Falſum eſt venenata cum cruciatu in Perſis gigni, & pœnarum cauſa à regibus tranſlata in Ægyptum, & terra mitigata. Id enim de Perſea diligentiores tradunt, quæ in totum alia eſt, myxis rubeſcentibus ſimilis, nec extra orientem naſci voluit. Eam quoq; eruditiores negauerunt ex Perſide propter ſimplicia tranſlatam, ſed à Perſeo Memphi ſatam: & ob id Alexandrum illa coronari victores ibi inſtituiſſe, in honorem ataui ſui. Semper autem folia habet & poma, ſubnaſcentibus aliis.

Perſea Plinij

Qui ſane locus, eorum ſententiam apertiſſime refellit, qui Perſeam arborem cum Perſica malo eandem eſſe cerebroſius aſſerere volunt, vt taceam vtriuſq; arboris hiſtoriam diuerſiſſimam eſſe.

PERSEÆ item meminit Strabo Geograph. vltimo, perpetuam illi comam tribuens, & fructum pyri magnitudine, figura oblonga, amygdalæ modo putamine incluſum, & corio.

EIVSDEM meminit & Galenus lib. 2. de Aliment. eamq́; ſe Alexãdriæ vidiſſe aſſerit: meminit & aliis locis.

Perſea perpetuò virẽs.

IN eo omnes conueniunt, vt Perſeæ perpetuam comã tribuant, oblongum fructum, incluſum amygdalæ putamine & corio. Hæc quam exhibemus arbor perpetua quidem eſt coma; folio autem & flore laurum magis refert quàm pyrum: fructu etiam oblongo eſt, ſed qui myxis (qualem ei Plinius loco jam adducto tribuit) aut oblongis prunis ſimilior ſit, quàm amygdalis, & colore (vt Plaça referebat) nigro, non herbido.

ITAQVE,

ITAQVE, *vt verum fatear, tametſi nonnullis cum Perſea Theophraſto deſcripta notis, hæc noſtra conueniat: mihi tamen aptius quadrare videtur ei, quam Plinius libro jam memorato deſcribit: aut quam Plutarchus in Ægypto naſci teſtatur Iſidi gratiſſimam, quòd fructum ferat figura cordis æmulum, folium verò linguæ. Sed aliorum id relinquo iudicio: nobis ſententiam noſtrã in medium protuliſſe ſatis eſt.*

CÆTERVM Mamay, *quam ab Hiſpanis Hiſtoricis deſcriptam dixi, arbor eſt formoſa, ſimili modo virens vti Iuglans, alta lataq́; coma, ſed quæ aliquantulum in pyramidem deſinat Cupreſſi modo: folium longius quàm latum, materies ligni fungoſa, fructus rotundus & magnus, carne malum cotoneum referens, ſed ſapore Perſici duracini. Huic inſunt terna quaternaq́; oſſa, interdum plura, ſimul juncta, valde amara.* Mamay Gomara Hiſtor. general. Indicæ capite 64.

HVIVS *quam exhibeo arboris neminem hactenus experimentum feciſſe, quod ſciam, puto.*

At Perſeæ fructum cibo idoneum, & ſtomacho vtilẽ Dioſcorides facit: arida verò folia in farinã redacta, illitu ſanguinis eruptiones ſiſtere tradit.

De Robore & Quercu.
CAP. III.

ROBORI *quina genera à nõnullis aſſignari, ab aliis ſolùm quaterna Theophraſtus lib. 3. Plantarum refert. Quòd verò peculiari nomine Robur debeat appellari, difficile eſt judicare: cùm multæ notæ Robori, nonnullæ* ἡμερίδι, *quam Gaza Placidam vertit, attributæ, Quercui per vniuerſam Europam notiſſimæ conueniant.*

SED *relictis diſceptationibus, nos hîc eas arbores deſcribemus, quæ per Hiſpanias, & in Aquitania Cãtabris finitima vulgo* Roble, *deducto à Robore nomine nuncupantur.*

I. PRIOR igitur *Quercui noſtrati admodum ſimilis eſt, & robuſta materie, ſed humilior, & caudice magis contorto, frequentioribusq; ramorum alis cauo: folia, meo judicio, magis ſinuoſa & inciſa, quæ non ita virent vt in noſtra Quercu, ſed (auerſa præſertim parte) molli canáque lanugine pubeſcunt.*

Frequens eſt in celſis Caſtellæ veteris montibus, atque etiam in Aquitania ſupra Burdegalam, vbi Roble *dicitur: tametſi idem etiam nomen noſtrati Quercui, quæ in Hiſpaniis frequens eſt, & montibus Calpi fretoq; Herculeo vicinis ſemper viret, Hiſpani tribuant.*

II. ALTERA *humilior eſt, & interdum humanam altitudinem non excedens, alioqui ſuperiori omnino ſimilis tum facie, tum foliorũ forma canitieq;, & videtur illius genus pumilum eſſe: fert hæc prægrandem gallam, exigui mali magnitudine, adeò copioſam, vt aliquando ramulum vix palmum ſuperantem nouem aut pluribus gallis onuſtum collegiſſe meminerim: inhærebant eæ gallæ ipſi ramo contiguæ ferè, ſed ſine vllo ordine, rotunda quidem & veluti ſphærica figura conſpicuæ, ſed aliquot tuberculis reſperſæ: rubent eæ cùm ſunt recentes, præſertim ea parte qua ſolem ſpectant. Inueniuntur & in huius foliis interdum pilulæ iis ſimiles quæ in noſtratium Quercuum foliis naſcuntur.*

Multis Caſtellæ veteris montibus frequens eſt, & plerumq; numeroſis ab eadem radice ſtolonibus fruticat.

HARVM *ramis contortis, deinde fiſſis & exſiccatis, Thedarum loco ruſtici vtuntur nonnullis veteris Caſtellæ locis, præſertim circa S. Martinum del Caſtañal.*

III. TERTIA *in arborem excreſcit non ita magnam vt prior: ejus item folia minora ſunt, duriora, anguſtioraq;, nec adeò profundè inciſa & ſinuata, ſed veluti aculeatis denticulis tantùm ſerrata, infernè quidem candicantia,*

ſed

Robur II.



Robur III.



ſed nulla molli lanugine reſperſa. Frequentem etiam iſta alit gallam ſuperiori ſimilem, & tuberculis acutis ornatam, pallidiore tamen colore.

Robur IIII.



Robur v.



QVARTA *huic ferè ſimilis eſt: ſed caudice breuiore, & magis contorto, magisq́ rugoſo cortice: gallæ item extremis ramulis naſcuntur, aliis minores, læues & ſine tuberculis, colore ex ruffo nigricante, iis quæ in officinis venales reperiuntur perquam ſimiles.* IIII.

Naſcitur vtrumque hoc genus in Luſitaniæ ſolitudinibus itinere Vlyſſipponenſi non procul Ebora, & ab incolis Caruàlla *nuncupatur.*

INVENITVR *& quintum quoddam Roboris genus (niſi quis ad Quercum referre malit) inter Rio frio & Aldea Galega ſolo arenoſo non procul Vlyſſippone frequẽtiſſimum, adeò humile, vt rarò pedem magnitudine ſuperet: ramuli tenues & flexibiles, vulgaris Quercus virgultis ſimillimi: folia ad proximè deſcriptas accedunt, ſed aliquantum majora & molliora. Hoc fert glandem quernæ vulgari haud minorem, interdum etiam craſſiorem, calyce planiore, admodum amaram. In reliquis nullam glandem obſeruaui.* V.

PORRO *omnes adſtringẽdi vim habent teſte Dioſcoride, præſertim interior & ſubjectus cortici liber, qui ligno membranaceus cohæret, quinetiam tunica putamini glandis ſubjecta. Decoctum ex iis datur dyſentericis, cœliacis, ſanguinem exſcreantibus. Trita in peſſo feminis fluxione vuluæ laborantibus ſubditur.*

CÆTERVM *pleriſque Oceani litoribus Bryi genus quoddam obſeruaui, quod, an ad Quercus Marinæ hiſtoriam referri poſſit, facilè iudicare non poſſum: licet cum ea quæ Theophraſto lib. Hiſtoriæ Plantarũ 4. cap. 7. deſcribitur, nullam habeat affinitatem.*

NASCITVR *autem hæc planta in rupibus quæ mari alluuntur, aut aqua marina operiuntur, ſine ramis, ſed oblongis latisq́ foliis, adeò mollibus, vt cùm æſtus receſſit nullo modo ſuſtinere ſe poſſint, ſed in ſaxis ſtrata &* Quercus marina.

diffuſa conſpiciantur: multifida verò ſunt hæc folia, & ſecundum alarum exortus & cauitates, bullas quaſdam aqua plenas eminentes habent, & eorum extrema veluti in rudimentum quoddam exigui cucumeris deſinũt, ſubflaueſcens, aqua plenum: atro virore prædita ſunt, quamdiu ſub aqua latent, aut recenter mari expulſa: ſiccata autem nigreſcunt & glutinis modo ſplendent. Nullis radicibus firmantur, ſed Lepadum modo ſaxis, aut Oſtreorum teſtis inhærent.

Quercus marina Theophr.

QVERCVS *marina Theophraſti, loco jam dicto deſcripta, folium habet carnoſum, tenue, & Myricæ ſimile, colore ad purpuram accedens: forma flexuoſa, atque in latitudinem diffuſa, ramis breuibus, contortis, ſpiſſis: magnitudo arboris tota cubitalis, aut paulo altior. Vtilis mulieribus ad lanas tingendas.*

Iſtam aliquando collegiſſe memini ad mare mediterraneum in littus eiectam cum Alga, & aliis maris purgamentis, cùm Mompelij agerem, & poſtea etiam circa Calpen & Valentiam: verùm cubito minorem, duriſſimo ligno: cujus rami alba ſalſugine ita conſperſi erant, vt ſaccharo tecti viderentur, in modum foliorum Tamaricis aut Ericæ formati, ſed craſſiores, interdum etiam omnino purpuraſcentes: nullas radices habebant arbuſculæ, ſed infima parte planæ erant, & plerunque aut lapidibus, aut Oſtreorum teſtis adhærebant.

Abies marina Theoph.

Quam verò eodem capite Theophraſtus Abietẽ marinam deſcribit, vidiſſe non memini, & mihi ignotam fateor: multasq; notas quercui tribuiſſe exiſtimo quæ Abieti, aut ejus generis arbori marinæ melius fortaſſe conuenirent.

SED *quandoquidem in marinarum ſtirpium mentionem incidimus, ante aliquot annos in Flandriæ ora maritima obſeruaui varias arbuſcularũ formas Oſtreorũ*

teſtis

teſtis & Mytulorum conchyliis adnatas.

Etenim aliæ Abietem ita ad amuſſim referebant, vt pumilæ Abietes viderentur, ramis ordine diſpoſitis vtrinque, ſed fragiles admodum & exiguæ, raro palmi altitudinem excedentes, ex tenuibus veluti ſquammis cõtextæ, omnino planæ aliquæ, in orbem prominentibus ramulis aliæ. Abies marina Belgica.

Aliæ Cupreſſos ita æmulabantur, vt ſatis mirari non poſſem Naturæ opus & artificium, ramulis frequentibus in orbem, ſed nullo ordine naſcentibus, & ſurſum ſpectantibus cupreſſi foliorum modo efformatis: quæ, tametſi aliquot annis inter chartas aſſeruatæ & compreſſæ, ſi in vitrum aut aliud vas aqua plenum inijcerentur, ſtatim rami ſeſe explicare & in orbem diffundi, & ſurrigere ſe inciperent: eaq; adeò de cauſa piſcatorum vulgus ſatis obſcenum illis nomen indidit. Cupreſſus marina Belgica.

HARVM *autem marinarum plantarum, vti & reliquarum ſtirpium, & omnium Naturæ miraculorum diligentiſſimus obſeruator erat illuſtris ac magnificus Carolus à S. Audomaro piæ memoriæ, Dn. de Dranoultre, Moerkercke, &c.*

De Subere. CAP. IIII.

SVBERIS *duo genera clariſs. Matthiolus obſeruauit; ego vnicum tantùm, niſi fortè, quod in extrema Aquitania Pyrenæis finitima naſcitur, ab eo quod per Hiſpanias frequens eſt, diuerſum ſit. Etenim Aquitanicum folia non retinet, ſed hyeme illi decidunt; vti, cùm menſe Aprili in Hiſpanias proficiſcerer obſeruaui, foliis enim prorſus viduatæ erant quotquot Suberis arbores circa Bayonam conſpexi. Quare Theophraſtus lib. 3. cap. 16. non immeritò tribuit Suberi folium deciduum, cùm dicat* Suber Aquitanicum.

Suber latifolium.



dicat arborem eſſe Pyrrhenæ familiarem.

QVOD *verò in Hiſpaniis naſcitur, perpetuò viret vt Ilex, cui adeò ſimile eſt, vt primo aſpectu plerunque fallat, niſi cortex craſſus & diſrumpi ſolitus errorem detegeret. Majus eſt Ilice plerunque, & caudice (vbi adoleuit) multo craſſiore, cortice item denſo, carnoſo, ſcabro & rimoſo, qui niſi ſuo tempore dematur, dehiſcit, alteriq́ſubtus naſcenti cedit: eo detracto, qui ſubeſt nouellus ita rubet, vt procul aſpicientibus arbores rubrica aut minio picta videantur. Suberis rami, Ilicis ramis firmiores ſunt, folia plerunque maiora, longiora, molliorâq́, & supernè magis virentia, interdum nonnihil dentata, interdum minimè vt in Ilice. Glans magna, longa, vbi maturuit nigricans, Iligna longior, & cuſpide obtuſiore: calyce etiam maiore, magis hiſpido & per oras molliter echinato: glans admodum adſtringens & exſiccans, iligna multò ingratior: naſcitur autem conjunctim majore ex parte, vti nux pontica, ſed craſſo breuiq́ pediculo, & firmiore quàm iligna. Ramulis interdum adnaſcitur tuberculum quoddam durum & lignoſum cinerei coloris, adeò firmiter inhærens, vt niſi fracto ramo eximi non poſſit.* Suber latifoliũ Hiſpanicum.

Naſcitur pleriſque Caſtellæ nouæ Bæticæq́ locis, præſertim circa el puerto de Mirabel, vbi ingentes ejus ſunt ſiluæ, & tota adeò Luſitania.

Φελλὸς *Græcis, Suber Latinis dicitur. Hiſpani arborẽ* alcornoque, *corticem verò* corcha de alcornoque *vocãt, glandem communi cum iligna nomine* bellota. *Galli arborem, tum corticem (qui illis potiſſimum cognitus eſt)* Liege.

BELLONIVS *lib. 2. obſeruationum cap. 104. Suberi tribuit fructum edulem Memæcylo ſimilem: mihi verò nullum alium fructum in Subere videre contigit, præter* Liege Bellonij.

glandem

glandem modò deſcriptam: niſi fortè Liege *vocabulo, diuerſam à Subere arborem intelligat, præter omnium Gallorum receptam opinionem.*

QVIQVERANVS *libello quem de Laudibus Prouinciæ inſcripſit, triplicem Suberi corticem tribuit. Ejus verba ſubijciam, quoniam nonnulla in eius hiſtoria tradit, ab aliis minimè obſeruata.*

Suberis hiſtoria.

Suberis, inquit, arbor vberrimè in Olbienſi ora prouenit, Ilicis ſpecie, glande majore & deteriore, trunco ingenti. Hunc veſtiunt cortices terni. Primus, pracraſſus, qui in cadorum & omnium penè vaſorum obturamenta adſciſcitur, piſcatorumq́; retia contra premente plumbo eleuat, ex eo fiunt etiam aluearia. Secundus crepidas munit & hybernum calceatum. Ex tertio ſubtili atque admodum delicato, fiunt pateræ, è quibus quidquid hecticis propinatur, magna vtilitate hauritur. Eo melior hæc arbor, quo vetuſtior. Detrahendis corticibus hæc eſt ratio. Qua ſtipes telluri committitur, circunſcinditur ad lignoſam vſque materiam, pariterq́; in ſummis humeris, antequam in brachia diuidat ſeſe: mox à ſummo ad imũ finditur, detrahiturq́; triplex cortex. Non explanantur aqua, ſed igni, nec demuntur niſi tertio mox anno. Quòd ſi paucis diebus à tonſura largi imbres interuenerint, arbor interit, quod raro accidit, nimirum regione calida & ſicca, & temporum obſeruatione raro fallente. Hactenus Quiqueranus.

VERVM *in Hiſpaniis primum illum carnoſumq́; corticem duntaxat eximere ſolent: quo, non modò ad cadorum obturamenta, aluearia, & nonnulla etiam vaſa ruſtici vtuntur, ſed etiam ad tuguriorum & parietum murorumq́; prætexta, præſertim in ea Bæticæ parte, quã Extremaduram vocant, vbi interdum totis pagis ædes magnis Suberis fragmentis imbricũ loco tectas conſpicere licet.*

licet. Idem crepidis muniendis & hyberno calceatui idoneus, ſcabritie illa exteriore deraſa.

De Ilice maiore.

CAP. V.

ILICIS *duo genera recenſet Plinius libro 16. cap. 6. Unum foliis Oleæ haud multum abſimilibus; alterum Aquifoliæ. Sed primum genus aliud nihil eſſe videtur, quam σμίλαξ Arcadum Theophraſto deſcripta libro 3. cap. 16. quam Ilici ſimilem facit, folio non aculeato, ſed molliori profundioriq́;.*

ILEX *verò legitima, arbor eſt Mali aut Pyri magnitudine, multo freqũetioribus breuioribusq́; ramis prædita quàm Suber, quos latè ſpargit: folia perpetua, ſupernè viridia, infernè candicantia, guſtu adſtringente, Suberis foliis minora, & magis orbiculata, in adultis arboribus plerunque ſine aculeis, præter nouella, & nunc primum enata, quæ aliquantulum inciſa & aculeata ſunt: certè in tenellis arboribus antequam glandem ferre incipiant, omnia folia aculeata ſunt. Florem fert Maio racemoſum, flaueſcentem, tametſi Plinius florere neget. Glandem item Quernæ ſimilem, nunc majorem longioremq́;, nunc minorem & breuiorem, quæ nonnunquam ante maturitatem nigreſcit, & gummi quoddam emittit guſtu calido, ſapore tamen non ingrato. Maturæ cortex ſiue putamen nigricat, nucleus candidus eſt, firmus & dulcis, præſertim majorum. Utraq; tamen à nonnullis maximè expetitur, eaq́; non minus auidè veſcuntur atq; nos caſtaneis aut auellanis: hanc ob cauſam in foro Salmanticenſi, aliiſq́; Hiſpaniæ locis, venalis menſe Octobri inuenitur: vt non immeritò dixerit Plinius, per Hiſpanias glandem ſecundis menſis inſeri.* Ilex major.

QVAM

Ilex maior.



QVAM doctiſſimus Matthiolus exhibet mihi videre non contigit, ad id ſortè genus referenda quod Plinius in Italia naſci tradit folio non multum ab Oleis diſtante: etenim oblongum & anguſtum eſt.

Viſcum aut Hyphear in nulla Ilice obſeruare memini, ſed interdum, in Bætica præſertim, tenuem quendã & capillaceum muſcum colore cinereo è ramis dependentem conſpexi, & auulſi.

Naſcitur copiosè per vniuerſam Hiſpaniam locis præſertim campeſtribus & collibus, rarò in montibus, Luſitaniæ non admodum familiaris, vbi Suber frequẽtiſſimum. Narbonenſis Gallia, & Prouincia eadẽ etiam abundat, ſed glande minore quàm Hiſpanica.

NOMEN *Græcum eſt* πρῖνος, *Latinum Ilex, Hiſpanicum* Enzina, *Gallicum* Eoule, *ou* cheſne verd. *Fructum Theophraſtus* ἄκυλον *Acylum vocari tradit, Hiſpani* bellota, *aut* abillota *nominant.*


QVIBVSDAM *Caſtellæ veteris locis hujus arboris rami cæduntur cubitali longitudine, & in ſtrues ordine congeſtis, ignis ſubiicitur: ij deinde in carbones vſtulati, Salmanticam & alia loca deportantur. Arborum trunci & molis fabricandis & ad alia opera ſeruantur: eſt enim materia firma & durabili.*

De Ilice coccigera.

CAP. VI.

NVNQVAM *altè aſſurgit hæc Ilex, ſed multis ab eadem radice prodeuntibus ramis fruticat duorum aut trium (quando plurimum) digitorum craſſitudine, ſæpenumero vnius tantùm, aut etiam virgultis tenuioribus, ramoſis: folia illi ſuperiore Ilice minora, & magis virentia, etiam auerſa parte, rigẽtibus aculeis armata,* Ilex coccigera.

Ilex coccigera.



quæ vetuſtate interdum rubent: glandem fert puſillam, admodum amaram, calyce ſpinoſo & echinato.

Creſcit multis Hiſpaniæ locis, in Gallia etiã Narbonenſi & Prouincia: ſed non vbiq; coccum gerit. Nam iis ſolùm regionibus quæ Mediterraneo mari vicinæ ſunt, & magno Solis ardore torrentur, naſci animaduerti. Sed neq; iſtic perpetuò fert: etenim vbi frutex adeò adoleuit, vt glandem proferre incipiat, coccum non gignit: ideoq; ſolent incolæ quadriennes frutices vrere, vt proximo anno nouelli reſurgant, qui deinde ſingulis annis coccum ramulis inhærentem inſtar exiguorum piſorum, colore cinereo gignũt, quem pueri & mulieres colligere ſolent, & mercatoribus vendere, qui ejus magnam copiam cogentes, deinde præparant, & in emporia mittere ſolent. Coccus infectoria.

DICITVR *ipſe frutex Dioſcoridi* κόκκος βαφική, *Latinis Coccus infectoria, Plinio Cocci ilex, & Quiſquilium. Hiſpanis, major frutex qui glandem fert,* carraſca *dicitur; quæ verò coccum gignit,* coſcoja, *nomine vt videtur ex Quiſquilio corrupto. Granum ipſum Dioſcoridi etiam* κόκκος βαφικὴ, *Plinio Coccum: ait enim lib.9. cap.41. Coccum Galatiæ rubens granum, aut circa Emeritam Luſitaniæ in maxima laude eſt. Arabibus* Chermes, *Hiſpanis* grana de tintoreros, *Gallis* vermillon & graine, *vel* graine d'eſcarlate.

PORRO *coccum vim adſtringendi habere, vulneribusq; & neruis præciſis conuenienter ex aceto illini teſtis eſt Dioſcorides. Scio meo tempore in Mompelio mulieribus in difficili partu, & collapſis viribus, ejus ſcobem ex vino, aut confectionem alchermes præberi ſolitam.*

CÆTERVM *Cocci etiam meminit Pauſanias in Phocaicis. Contigui itẽ ſicut vites, frutices ibi naſcũtur.*

Fruticem hunc Iones atq; alij Græci Coccum appellant: Galatæ autem qui ſupra Phrygiam incolunt, lingua vernacula Hys. Creſcit coccus eadem magnitudine quæ Rhamnus, folio nigriore & molliore quàm Lentiſcus, in reliquis Lentiſco ſimilis: fructus ejus ſimilis fructui Solani, magnitudine Orobi: naſcitur autem in cocci fructu exiguum animalculum, quod ſtatim ac in aërem, fructu jam maturo, eſt emiſſum, volat, ita vt culici ſimile videatur. Priuſquam verò naſcatur animalculũ, fructum cocci colligunt, & animalculi ſanguine lanas tingunt. Hæc Pauſanias. Admonitus verò ſum à magnifico Dn. Iacobo Suſio, viro Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimo, veteres codices non σχῖνος & σχίνῳ legere, ſed πρῖνος & πρίνῳ: quæ ſanè lectio legitima eſt. Nam quæ ſimilitudo Cocci Baphicæ cum Lentiſco? Facilis autem potuit eſſe librariorum lapſus.

Coccus Pauſaniæ.

Pauſanię locus emendatus.

COCCVM *quomodo gignatur, & ejus colligendi rationem Quiqueranus libro ſuperiùs memorato multis verbis recenſet.*

Cocci baphicæ hiſtoria ex Quiquerano.

Ilicis, inquit, duo genera: alterum arboreſcens: alterum frutex exiguus ſeſquipedali proceritate lætiſſimè viret, foliis læuore præfulgidis, ſpinarum vallo ambitis numeroſo, ſtolone aſſurgit in modum Roſarij: à noſtris Fagi appellationem ſortitur, quãuis nullam Fagi imaginem repræſentet. Prouenit locis planis quidem, ſed in altitudinem euectis, exilibus & ſitientibus collibus, ſed infœcundius. Vere medio rorati imbribus frutices, Coccum hoc modo ordiuntur. Vbi imus ſcirpus ſe in duo brachia partitur, in horum medio primum omnium increſcit rotundum quiddam, magnitudine & colore Piſi, hoc Matrem vocant, quòd ex eo cætera grana producuntur. Matres porrò habet vt plurimum quinq; quælibet ceſpitum familia, quæ ineunte æſtate, æſtuq;, minutiſſi-

minutiſſimorum vermiculorum cateruam profundunt, fatiſcuntq́ in ſummitate. In animalia prorepit noua ſoboles colore candida, pro ſe quiſq; in ſublime. At vbicunq; vermiculæ vel geminantis ſurculi axellis occurrerint, deſident, & incrementis aucti Milij magnitudine fiunt. Inde liberius adoleſcentibus, albus color in cinericium tranſit, jamq́ non animal, ſed Piſum rurſus apparent. Tuncq́ ea grana maturitatem adepta colliguntur, jam coloratis vermiculis fœta: dumq́ aſportantur mercatoribus, ambiens pellicula præ teneritate rumpitur. Vermiculorum quidem qui citra vaginulã habentur pretium in libram quamlibet aureus ſolatus, in granorum verò quæ adhuc eorum partem retinent, hujus quadrans. Torpent interim vermiculi, ac immobiles jacent. Cæterùm, cùm primùm tempeſtiuitas adeſt, in lintea præcipitati, ſoli exponuntur. Tum libato colore ſtatim prorepunt, atq; aufugere nituntur: ſed à cuſtode, qui continuus aſſidet, concuſſu lintei in mediũ eò vſq; reijciuntur, donec emoriantur. Tanta quidem dum hæc fiunt, totoq́ mox triduo, odoris ſuauitate atque gratia, vt non Cibetæ, non Moſcho, non Ambræ, ſed ne Citriorum quidem floribus facilè conceſſerit. Si quæ verò grana legentis effugerint ſedulitatem, ea mox alatorum animalium numeroſum exercitum in auras effundunt. Obſeruatum eſt vno anno ex campo lapideo, Arelatenſi agro, hunc prouentum vndecim aureorum millibus æſtimatum. Hæc Quiqueranus.

SIMILIS *Cocci parãdi ratio etiamnum meo tempore in Gallia Narbonenſi, atq; etiam in Hiſpania obſeruabatur. Areas enim ſub dio habent ad id deſtinatas eminente aliquantulum margine, quibus lineo panno inſtratis coccum effundunt, cuſtodibus cum bacillis ſummo feruore Solis perpetuò aſſidentibus, & extrema*

 lintei

lintei concutientibus, vt vermiculos effugere properantes, in interiorem lintei partem repellant.

VERVM *Petrus Bellonius lib. 1. obſeruationum, cap. 17. aliam præparandi cocci rationem refert.*

Cocci parādi ratio ex Bellonio.

Cocci baphicæ, inquit, prouentus in Creta magnus eſt: paſtores & pueri eam colligunt. Inuenitur menſe Iunio, in exiguo quodam frutice ex Ilicis genere quæ glandem fert, ſine pediculo inhærens illius fruticis ſtipiti, colore ex cinereo albicante. Quoniam verò iſtius fruticis folia ſpinis horrent, vti Aquifoliæ, paſtores furculam ſiniſtra geſtant, qua ramulos deprimunt & inclinant, dextra falcem putatoriam, qua ramulos demetunt, à quibus veſiculas rotundas exigui Piſi magnitudine auferunt, qua parte ligno adhæſerunt, apertas & hiantes, plenas exiguis rubris animalculis lende minoribus, qui per hiatum iſtum effugiunt, & veſiculam vacuam relinquunt. Pueri coccum jam collectam ad Quæſtorem deferunt, qui ex dimenſo ab illis redimit. Is animalcula à veſiculis cribro ſegregat, deinde ea ſummis digitis leniter prehendendo in pilas efformat oui gallinacei magnitudine: etenim ſi nimium comprimeret, tota in ſuccum reſoluerentur, & color periret. Itaq; duo infectionis genera, vnum pulpæ, alterum veſicularum; & quoniam pulpa inficiendo magis vtilis eſt, ejus pretium quadruplo majus, quàm veſicularum.

De Pino ſilueſtri.

CAP. VII.

PINASTRI *tria genera per Hiſpanias obſeruauimus, majus vnum, alterum minus, tertium perquam exiguum.*

Pinaſter 1.

MAIOR *Pinaſter, in Pini altitudinem excreſcit, interdum*

interdum etiam maiorem, à medio ramoſus: folia Pini oblonga, bina ſemper ſimul juncta, in virore nigricātia, acuminata & pungentia: ſtrobilo paulo minore quàm Pini, alato inter ſquammas quibus compactus eſt, nucleo, nullo putamine, ſed cortice duntaxat incluſo. Caudex rectus, cortex læuior & minus ſcaber quàm Pini. Plurimam reſinam fundit.


MINOR *duorum hominum ſtaturā rarò ſuperat, inflexo & contorto caudice, & plerunque ab imo ramoſo: folia ſuperiori ſimilia, ſed breuiora, & dilutiore virore: ſtrobili etiam minores, oblongi tamen & turbinati atq; candicantes, qui plerunq; multam reſinam exſudant: nuclei ſuperiori ſimiles, nigra mēbrana cōtecti.* Pinaſter II.

TERTIVS *omnium minimus, humanam altitudinem rariſſimè ſuperat, ramis gracilibus, foliis exilibus, & Laricis foliis perquam ſimilibus, non adeò tamen mollibus, neq; vt illa deciduis, ſed immortali virore vt ſuperiores: ſtrobili exigui & graciles, nucleus etiā puſillus & nigricans, alatus vti ſuperiorum.* Pinaſter III.


Creſcit prior in Pyrenæis, & pleriſq; aliis Hiſpaniæ locis. Secundus Murciano & Valentino regno. Tertium rariſſimè conſpexi regno Murciano.

PRIOR, *Pinus ſilueſtris montana Theophraſti nonnullis eſſe putatur, quemadmodum alter, Marina. Tertius, fortè Piceæ genus alterum Bellonio deſcriptum lib. 3. obſeru. cap. 41. Hiſpani Pinum ſilueſtrem* pino carax *vocāt. Nucum Pinaſtri fructus, Plinius Pityidas vocat. Dioſcorides tamen* πιτυίδων *vocabulum, & Piceæ Pinuſq; fructui indifferenter tribuit: quem vim adſtrictoriam habere, & aliquantum excalfacientem, tuſſi & pectoris vitiis auxiliari per ſe aut ex melle ſumptum, ſcribit.*

Pinaſter II.



Pinaſter III.



De Siliqua ſilueſtri.

CAP. VIII.

HVIC *arbori Siliquæ ſilueſtris nomen indidi, non quòd Siliquæ veteribus deſcriptæ ſimilis ſit, ſed quòd nonnullis Hiſpaniæ locis vulgari nomine ſic appelletur.*

1. Arboris Iudæ hiſtoria. EXCRESCIT *interdum in arborem juſtæ magnitudinis, ſi colatur; ſed neglecta & ſponte naſcens, plerunq; inter frutices potius, quàm arbores cenſenda eſt. Rari rami cortice ex purpura nigricante tecti, qui primo vere flores ante folia, aut iis primum protuberare incipientibus, inferiore parte ferunt ternos aut quaternos ſimul jũctos, geniſtæ aut piſorum forma, colore purpureo eleganti: folia deinde prodeunt ex interuallis Aſari ferè, circinata, minus tamen carnoſa, neruoſa admodum, vti Ariſtolochiarum, & dura, ſupina parte viridia, prona verò nonnihil candicantia: floribus ſuccedunt ſiliquæ membraneæ purpuraſcentes, & quodammodo tranſparentes, compreſſæ, digitali longitudine & latitudine, in quibus ſemen planum, lentis, durum.*


2. Arbor Iudæ flore albo. *Huic per omnia ſimilis inuenitur ferè, niſi quòd flos qui in ſuperiore purpureus eſt, in hoc candicat, & virgultorũ cortex minus purpuraſcit, ſiue potius albeſcit.*

Sponte prior naſcitur Granatenſi regno, & quibuſdam aliis Hiſpaniæ atq; Galliæ Narbonenſis locis inter ſepes. Alitur etiam in hortis non modò in Belgio, ſed etiam in veteri Caſtella propter venuſtatem. Quæ flore eſt candicante ſpontè naſcentem non vidi; ſed quibuſdam ſolummodo Belgij hortis ex ſemine ſatam.

VVLGVS *Herbariorum Arborem Iudæ appellat: quidam à Siliquarum generatione Fabaginem; Granatenſes vulgari ſermone* algarouo loco, *hoc eſt Siliquã ſilueſtrem & fatuam: Mauritani illius regionis incolæ*

Dit:

Arbor Iudæ.



Dit: *Caſtellani ob elegantiam & venuſtatem* Arbol d'amor: *Galli* Guainier, *quaſi vaginalem, quòd Siliquæ cultrorum vaginas, vt opinor, æmulentur.*

Cercis Theophr. QVO *nomine veteribus hæc arbor ſit dicta, non facilè dixerim. Nonnulli ad Cercin Theophraſti referũt. Sed cùm Theophraſtus Cercis duntaxat meminerit inter arbores quæ Siliquas ferunt, nec aliam deſcriptionem addat, difficile quiſquam iudicare poſſit: niſi fortè ideo Cercis æſtimanda ſit, quòd illius ſecundo poſt Siliquam loco meminerit.*

Dum Mompelij agerem, peritiores rei herbariæ ſtudioſi Arborem Iudæ referebant ad Colyteam Theophraſti lib. 3. cap. 17. deſcriptam in hunc modum:

Colytea Theophr. ARBOR *circa Idam prouenienſ, quam Colyteam vocant, genus aliud eſt fruticoſum, ramoſum, multis alis concauum, inuentu rarum, non frequens, folio Laurino, Lauri latifoliæ. ſed rotundiore amplioreq́; , vt vel Vlmeo ſimile appareat, oblongius tamen, colore parte altera herbido, tergo autem albido, neruoſoq́; , tum ibidem neruulis prætenuibus fibriſq́; , tum inter eas propagines, quæ de medio callo in coſtarum ſpeciem adducũtur, &c. Et cap. 14. ejuſdem libri, Siliquas ei tribuit leguminum modo. Quæ ſanè notæ Arbori Iudæ vulgò vocatæ plurimum conueniunt: Sed quod deinde ait, flore fructuq́; carere putatur, illud diſſimile.*

AN *in vſum medicum hæc arbor recepta ſit, planè me ignorare fateor.*

Ceratia. CÆTERVM *Siliqua Græcis* κερωνία *dicta, Valentino regno frequentiſſima, vbi ejus fructus in jumentorum pabulum cedit. Viſitur & aliis Hiſpaniæ locis magna altitudine, & ſpatioſa, caudice craſſo, longis firmiſq́; ramis, foliis alatis vti Terebinthi aut Piſtaciæ, majoribus: Nouembri & Decembri julum inſtar*

Iuglandis

Iuglandis ferens, in flores ex rubro purpuraſcentes ſeſe aperientem: Siliquas deinde digitali longitudine, craſſas, edules, quæ grana continent ſuperiore majora, Caſſiæ ſolutiuæ non diſſimilia. Hiſpani Algarouo *&* Garouo, *fructum* Garouas, *Galli* Carouges.

De Olea ſatiua.

CAP. IX.

OLEÆ *per Hiſpanias varia ſunt genera. Nam nunc magnam & carnoſam fert oliuam, nunc exiguam & gracilem, nunc albam.*

HABET *verò Olea folium Salignum ferè, denſius, firmius, breui pediculo, supernè magis incanum quàm infernè, amaro guſtu: florem copioſum in ramulis racematim compactum, ex herbido candicantem, quaternis foliolis conſtantem, & fructus rudimentum amplectentem: fructus ejus ouali figura, oſſeo intus nucleo, qui per maturitatem nigreſcit: præter eam quam albam vocant.* Oleæ hiſtoria.


Luſitaniæ, minores Oliuas producunt, ſed quæ multum olei & optimi præbent: ſic etiam Gallia Narbonenſis & Bætica nonnullas oliuas minores proferunt, ex quibus plus olei exprimitur, & ei, quòd majores præbent, præferendum.

Circa Hiſpalim, & craſſior oliua naſcitur, atque etiam minor, nonnunquam & alba; quam & circa Vlyſſiponē naſci clariſſimus eques Damianus de Goës piæ memoriæ, in quodam ſuo prædio referebat. Oliua alba.

Immaturas plerunque condiunt per Hiſpanias & Galliam Narbonenſem, interdum etiam maturas, præſertim in Luſitania.

Granatēſi regno primùm Februario colligitur oliua: pleriſq; Oliuæ legēdæ tempus.

Olea.



pleriſq; verò Hiſpaniæ locis, Decembri. Neque omnes perticis decutiunt, vti in Gallia Narbonenſi. ſed admotis ſcalis pleriq; legunt, ne ſpem ſequentis anni decuſſis germinibus præripiant.

NON *procul Hiſpali, viſcum in Oleis copioſè naſcens obſeruaui menſe Ianuario: Oliuetorum poſſeſſores magno damno afficiens: ſiquidem integros Olearum ramos, crebrò etiam maximam earum partem demetere coguntur, ne latius id vitium ſerpat, alioqui totas arbores occupaturum & ſteriles redditurum. Habet verò id viſcum non baccas albas, quales in aliis arboribus natum, ſed ex rubro purpuraſcentes, quales nuſquam alibi vidiſſe memini.* Viſcum baccis purpureis

Bellonius etiam lib. 2. obſeruat. cap. 83. ſimile viſcũ ait creſcere in oleis circa Hieruſalem. Oleæ, inquit, iſtic peculiari nota ab aliis diſcernuntur: nam viſcum ferũt baccis rubris onuſtum.

Ἐλαία ἥμερος *Græcis: Olea ſatiua Latinis: Hiſpanis* Oliuo: *Gallis* Oliuier. *fructus etiam* ἐλαία *Græcis, Oliua Latinis, Hiſpanis* azeytuna *(oleum enim* azeyte *vocant) Gallis Latinos ſecutis* Oliue.


SATIVÆ *Oleæ foliorum vis eadem eſt quæ ſilueſtris, inquit Dioſcorides, ſed aliquanto inferior: vnde ocularibus medicamentis, ob mitiorem vim conuenientior eſt. Sudor ligno virente accenſo manans, illitu ſanat lichenes, furfures, & ſcabiem, &c.*

De ſilueſtri Olea.

CAP. X.

OLEASTER *inſtar Oleæ arboreſcit, & illi ferè per omnia ſimilis eſt, cortice tamen læuiore, rarioribus ramis, neq; adeò frequentibus oblongisve foliis: flos vt* Oleaſtri hiſtoria.

Oleaſter.



in Olea racematim cohærens: fructus exiguis oliuis ſimilis, pauca tamen carne præditus, & mucrone recuruo, è longis pediculis racematim dependens, primum viridis, deinde purpureus, vbi maturuit niger, ſucco prægnans purpureo, qui guſtatus nonnihil linguam vellicat. Tota arbor inſigniter amara eſt.

Naſcitur quibuſdam collibus juxta Tagum, & multis Luſitaniæ locis deſertis inter magna ſaxa, præſertim non procul à Cerpa, poſtrema Luſitaniæ (vt nũc circunſcripta eſt) vrbe, duobus ſupra Anam flumen miliaribus, ad radices ferè ſaltus Caſtulonenſis, quem nunc Sierra morena, *hoc eſt Montem nigrum vocant, cujus pars ſuperanda eſt iis qui Vlyſſippone Hiſpalim proficiſcuntur, vbi magnæ ejus ſunt ſiluæ. Maturatur cum Olea: ſed magna ex parte incolis negligitur, et in ſturnorum aliarumq; auium eſcam tantùm cedit.*

GRÆCI ἀγριελαίαν *&* κότινον: *Latini Oleaſtrum, & Oleam ſilueſtrem: Hiſpani* azebuche, *ſed frequentius* azuche: *Galli* Oliuier ſauuage *appellant.*

EASDEM *cum Olea vires obtinet, ſed vehementiores & plures. Quas verò Dioſcorides Oleaſtro tribuit, eaſdem Plinius Oleæ adſcribit.*


Qui plura de Olearum generibus, cultu, & aliis eò pertinentibus deſiderabit, requirat apud M. Catonẽ, M. Varronem, Columellam, Plinium & Palladium, qui exactè omnia iſta deſcripſerunt.

De Ziziphis.

CAP. XI.

ZIZIPHVS *pyri magnitudine interdum aſſurgit, plerunque minor, caudice contorto, cortice ſcabro: rami* Ziziphus rubra.
læues, ex nigro rufeſcentes, ad ſingula internodia binis

Ziziphus rutilus.



ſpinis firmis ejuſdem coloris ſtipati, altera recta, altera hami modo incurua, vti in Rhamno tertio. Ab iſtis ramorum internodiis bini, terni, pluréſve tenues ramuli exeunt lenti & flexibiles, colore palleſcente, ſpithamæ longitudine, in quibus impari ordine folia naſcuntur Rhamni tertij, ſiue Paliuri Theophraſti foliis ſimilia, tribus neruis diſtincta, & per ambitum crenata, dilutiore tamen virore quàm Rhamni, & majora: ad quorum exortus flores exigui, quinq; foliolis conſtantes, colore pallido, Rhamno tertio ſimiles, exoriuntur, deinde fructus ouali figura, magnitudine Oliuæ, primum viridis, vbi maturuit ruber, dulci ſapore.

Alitur in pleriſq; Hiſpaniæ & Galliæ Narbonẽſis hortis: ſpontè naſcentem nunquam vidi.

MEMINIT Ziziphi Plinius lib. 15. cap. 14. in hæc verba: Æquè peregrina ſunt Zizipha & Tuberes, quæ & ipſa non pridem venere in Italiam. Hæc ex Africa, illa ex Syria. Sex. Papinius, quem Conſulem vidimus, primus vtraq; attulit, Diui Auguſti nouiſſimis temporibus, in caſtrorum aggeribus ſata. Et paulo pòſt: Tuberum, inquit, duo genera, candidum, & è colore ſericum dictum. Tuberes.

Columella lib. 9. cap. 4. Ziziphum duorum generum facit, rutilam atq; albam: non Tuberes, quorum lib. 11. cap. 2. meminit, & inter arbores quæ primæ florent recenſet. Poſſunt, ſcribit, his diebus [pridie videlicet Kl. Ianuarias] Ceraſi, & Tuberes, & Armeniacæ atq; Amygdalæ, cæteræq; arbores quæ primæ florent, inſeri commodè.

Plinius ex eo ſumpſiſſe videtur quæ lib. 16. cap. 25. ſcribit: Floret prima omnium Amygdala, menſe Ianuario: ab ea proximè florent Armeniacæ, dein Tuberes, & Præcoces, illæ peregrinæ, hæ coactæ.

Lotus Pharidis inſulæ Theophr.

PORRO *non deſunt qui veteribus etiam Græcis hanc arborem cognitam fuiſſe putent, & ad Lotum quam Theophraſtus in Pharide inſula Lotophagorũ naſci tradit lib.4.cap.4. referendam. Optimè ſane conuenire videtur arbori quam Athenæus libro 14.cap.4. Loti nomine deſcribit ex Polybij Hiſtoriarum lib. 12. his verbis:*

Lotus Athenæi.

Lotus arbor eſt non magna, aſpera & ſpinoſa, folio virenti & paruo quale Rhamno, profundiore tamen & latiore, fructu candida Myrti per initia, cùm verò auctus eſt phœniceo, oliuæ rotundæ magnitudine, oſſe ſeu nucleo exiguo. Maturus fructus colligitur, & cum chondro tuſus conditur in ſeruorum cibum. Liberorum verò menſis infertur exempto nucleo. Cibus eſt ſimilis fico & dactylo, ſed præſtantiori odore. Fit ex eo trito cum aqua vinum dulce, quale mulſum, ſed quod vltra denos dies durare negant: fit etiam acetum.

Eundem etiam vſum alterius generis Loto Plinius tribuit lib.13.cap.17.

GALENO *σηρικὰ dici pleriſq; placet. Verùm recẽtioribus Græcis ζίζυφα & ζίνζυφα dici, officinis Iujubas, certum eſt. Arbor Hiſpanis* açofeifo, *Gallis* Iujubier, *Narbonenſibus* Guindoulier: *fructus iiſdem* açofeifas & açufeifas, jujubes, guindoules.

SANGVINIS *acrimoniam edomare creduntur ejus baccæ, & tuſſim ſpirandiq; difficultatem lenire illarum decoctum.*

De Zizipho alba.

CAP. XII.

Ziziphus alba.

AD *ſuperioris altitudinem interdum aſſurgit hæc arbor, ſed plerunq; in latitudinem ſe pandens; caudice*

ſatis

ſatis craſſo, cortice læui & candicante: rami, qui interdum ſpinoſi ſunt, pleraſq; virgulas habent, foliis alternatim & ſine ordine naſcentibus, vt in ſuperiore Zizipho, ſalicis ſimilibus, mollibus, omnino incanis exornatas, ad quorum exortum oblongi naſcuntur floſculi, colore ex argenteo palleſcente, graui, non tamen injucundo odore caput ferientes, quibus ſuccedunt baccæ oblongæ, exiguis oliuis aut Ziziphis ſimiles, albæ, fungoſa & dulci carne ſiue pulpa, oſſeo intus nucleo caniculato.

Creſcit ſpontè in ſepibus cum Rhamno & Vitice juxta vrbem Guadix regno Granatenſi; & in omnibus ferè viridariis alitur non modò per Hiſpanias, ſed etiã per Galliam & Germaniam.

Floret æſtatis initio, fructus Autumno matureſcit: ſed rarò admodum frigidis regionibus fructifera eſt.

Ziziphus alba Columellæ.

BELLONIVS *libro obſeru. 2. cap. 111. exiſtimat eſſe Ziziphum albam Columellæ, & ſcribit apud Heracleam agrorum ſepes conſtare ex hujuſmodi arboribus, earumq́; fructum in vrbibus venalem proponi, & à Græcis vulgari ſermone Ziziphia vocari.*

Zizipha Cappadocia Plinij.

Item alio libello quem de ratione cicurandi ſilueſtres arbores edidit, à Plinio Zizipham Cappadociam appellari putat, cujus in hæc verba meminit de coronis agens lib. 21. cap. 9. Duo earum genera, quando aliæ flore conſtant, aliæ folio. Florem eſſe dixerim geniſtas, namq; & iis decerpitur luteus, item Rhododendron, item Zizipha quæ & Cappadocia vocantur: his odoratus, ſimiliſq́; olearum floribus.

Iouis barba Plinij.

NON *deſunt qui Iouis barbam arborem, opere topiario tonſilem, & in rotunditatem ſpiſſam, folio argenteo, cujus Plinius lib. 16. cap. 18. meminit, eſſe exiſtiment. Anguillara tamẽ duas alias proponit, quarto*

ſtirpium judicio foliis omnino argenteis.

Eleagnus Theophr.

NONNVLLI *etiam Eleagnum nuncuparunt. Theophraſti tamen Eleagnus, quam lib.4.cap.11. deſcribit, nihil aliud eſſe videtur, quàm Salicis genus ſecundum aquas naſcens, ampliore, candidiore, molliorequè folio quàm reliquarum ſalicum, ad mali folia nonnihil accedente, ſed longiore: flore, ſeu iulo, molli, villoſo, candicante, populi albæ ſimili, ligno quàm reliquarum ſalicum lentiore, & ad multos vſus vtili. Atrebates* Salengre *nominant.*

Vulgus autem pleriſq; locis Oleaſtrum appellat, & legitimum eſſe putat: Caſtellani & Granatenſes Arbol parayſo, *hoc eſt Arborem paradiſi, ab odore ni fallor, dicunt: Galli, teſte Bellonio,* Iujubier blanc *&* Oliuaſtre.

ILLIVS *iconem affabrè pictam exhibet doctiſs. Matthiol. commentariis in Dioſcoridem, Oleæ Bohemicæ ſiue Eleagni nomine.*

De Azadarac.

CAP. XIII.

SVPERIORI *hanc arborem ſubijciendam putaui, quoniam à nonnullis eodem cum illa nomine nuncupatur.*

Azadarac hiſtoria.

EST *autem vaſta & procera, non minus aliquando quàm Lotus, caudice craſſo, cortice in nouellis ſatis læui, ad ficus ferè corticem accedente, in adultioribus ſcabro & rimoſo: folia fraxini ferè, ſed plurima è ramoſo & oblongo pediculo dependentia, vt Cicutæ aut Barbæ caprinæ integrum folium æmulentur, viridia admodum, & nigricantia, quæ ſub hyemem cum ſuis pediculis decidunt. Æſtate in minoribus ramis oblongos fert*

pediculos

pediculos aut virgulas ex foliorum exortu, quæ multis oblongis ſtellatisq; floribus purpuraſcentibus & admodum odoratis, racematímq; cohærentibus exornantur: quibus ſuccedit fructus per initia viridis, per maturitatem verò candicans, magnitudine Meſpili aroniæ, fœtidus & ingrati ſaporis, oſſeo intus & hexagono nucleo, qualis ferè nonnullorum Myrobalanorum. Tota hyeme in arbore perdurat is fructus, nullis eum deguſtantibus auibus.

Nuſquam hanc arborem ſpontè naſcentem vidi: ſed in multis Bæticæ viridariis, atq; etiam ſecundum vias regias alitur: ſed nullibi major mihi conſpecta eſt, quã Hiſpali in Regio palatio. In Italia item frequentem pleriſq; locis inueniri intelligo. Memini & olim in Mompelio vidiſſe.

ISTIC meo tempore Arbor ſancta dicebatur: Doctiſſimo & celeberrimo viro Gulielmo Pellicerio Mompelienſi Epiſcopo Lotus alba exiſtimabatur, aliis verò Ziziphus alba. Italorum herbariorum vulgus Sycomorum vocare audio. Arbor ſancta. Lotus alba. Sycomorus.

Pleriq; eam eſſe putant, quam Auicenna libro 2. cap. 17. Azedaraeth appellat. Arbor, inquit, nota habens fructum ſimilem Nabach [id eſt Loto] & nominant eam in Rechi arborem Myrobalanorum, & eſt ex magnis arboribus. Bæticis vulgari ſermone Arbol parayſo, eodem quo ſuperior Caſtellanis nomine dicitur. Italis Perlaro vocari audio. Azedaraeth.

FLOREM Azedaraeth calidum in tertio, ſiccum in fine primi, Auicenna loco ſuprà memorato ſcribit, & cerebri obſtructiones aperire aſſerit: ſtillaticium verò ejus liquorem pediculos interficere, & comam alere, ſi eo vino permiſto caput abluatur. Fructum autem pectori noxium & valdè pernicioſum eſſe.

Iſtius etiam iconem eleganter expreſſam exhibet Matthiolus cap. de Sycomoro.

De Alaterno.

CAP. XIIII.


HVIVS *fruticis perpetuò virentis duo genera obſeruaſſe memini.*

Alaternus I. VNVM *arboreſcens interdum, longis ramis, non admodum craſſis, neq; alatis, ſeu (vt Gaza vertit) aloſis, deinde virgultis flexibilibus, quæ cortice ſuperiore ex candido vireſcente teguntur latente ſub eo membrana quadam flaueſcente quæ lignum ambit: foliis inconditis & nullo ordine diſpoſitis, media inter Oleæ atque Ilicis folia magnitudine, ſic ſatis craſſis, leuiter per ambitum ſerratis, ex viridi nigricantibus, guſtu ingratis, & cum amarore leuiter mordicantibus: ad ſingulorum foliorum, qui in ramulis naſcuntur, exortus, flores oleæ ſimiles, colore ex herbido palleſcente, racematim ex oblongis pedicellis dependent vere, interdum etiam media hyeme. Nullum in hoc fructum vidi.*

Alaternus II. ALTERVM *multò humilius eſt, ramis breuioribus, cortice, qui eos ambit, ex albo, viridi & purpuraſcente coloribus ſimul permixtis infecto: folia ſuperiore minora, & magis circinata, per ambitum etiam ſerrata, ſed colore dilutius virente: ex foliorum alis flores, vt in ſuperiore, ex oblongis pediculis dependent, majores quàm in primo, & colore magis herbaceo: quibus ſuccedit fructus racematim cohærens, Lentiſci magnitudine, qui tribus nucleis cōſtare videtur, primum viridis, deinde nonnihil rubeſcens, vbi verò maturuit, niger quemadmodum exiſtimo: nam fructu nondum maturo collegi initio Aprilis, & floribus onuſtum*

Februario

Alaternus I.



Alaternus II.



Februario & Martij initio.

Primum in Luſitania Vlyſſipponenſi agrò obſeruaui & locis vicinis. Alterum verò tum ibi, tum Bætica plurimis locis, tum Granatenſi Valentinoq; regno.

PLINIVS *lib.16.cap.26. Alaterni meminit, cui folia inter Ilicem & Oleã tribuit. Hæc adeò cauſa fuit, cur huic frutici Alaterni nomen indiderim. Nec refert quòd idem Alaternum fructum ferre neget: potuit enim in arbore non admodum ſibi nota hallucinari, vti in reliquis quas cum Alaterno commemorat. Fructũ, inquit, arborum ſolæ nullum ferunt, hoc eſt ne ſemen quidem, tamarix ſcopis tantum naſcens, populus, alnus, vlmus attinia, alaternus, cui folia inter Ilicem & Oleam. Nemo eſt autem qui ignoret alnos ex ſemine quod in globulis adultiores ferunt, naſci: tamarix ſanè ex ſemine non ſemel mihi prouenit; populos, ſalices, ex ſeminibus pappoſis enatas, vlmos item attinias ex ſamaris (ferunt etenim ſemen, ſed minus altera latifolia) plerunq; vidi.*

CÆTERVM *Alaternum eandem cum Philyca Theophraſti eſſe, Bellonius lib.1.obſeru. cap.42. cenſet. Nullus eſt, inquit, Montem Athon incolentium, qui arborem (quam Plinius Alaternum vocat) vero & antiquo, quo videlicet ipſe Theophraſtus vſus eſt, nomine appellare non ſciat Philycam: ſed Corcyrẽſes & Cretenſes eam Elæprinon dicunt, quoniam ejus folium inter Ilicem & Oleam, vt inquit Plinius.* Philyca Theophr. Elæprinos.

Luſitanis prior caſca *dicitur, nonnullis etiam* filiguero & ſanguenho: *Gallis, Bellonio teſte,* Dalader & ſanguin blanc: *Lucenſibus* Iletro. *Anguilara Alaternum vocari tradit* Alatrerna & Linterna.

A N *hic frutex in vſum medicum receptus ſit, planè me ignorare fateor. Luſitani aſſerebant ejus cortice in*

aqua

aqua decocto piſcatores ſua retia ſubrutilo colore infi-cere: & tinctores è fragmentorum ligni quod pallet de-cocto, nigreſcentem ex cæruleo colorem conciliare.

De Phillyrea.

CAP. XV.

PHILYRAM, *de qua Theophraſtus, à Philly-rea, quam Dioſcorides deſcribit, diuerſam eſſe, nemo jam eſt, qui, vt opinor, ignoret.*

Nos de Phillyrea hîc agemus, cujus aliquot genera per Hiſpanias & Galliam Narbonenſem obſeruaui, & omnia foliis diſpoſitis, ſemperq́ue contrario inter ſe pediculorum exortu naſcentibus, vt in Olea, Myrto, & pleriſque aliis.

Phillyrea I. PRIOR *majori quàm Ilex coccigera aſſurgit al-titudine, ramis pollicem & amplius craſſis, cortice vi-ridi, ſed candicantibus maculis aſperſo tectis: folia quàm Ilici coccigeræ majora, viridiora, & denſiora, in ambi-tu nonnihil ſpinoſa, guſtu adſtringente, ſed ſapore non ingrato. Florem non vidi, ſed fructum maximè, qui Lentiſcino fructu major non eſt, ex foliorum alis de-pendens, niger cùm maturuit.*

Phillyrea II. ALTERA *priorem magnitudine ſuperat, multis ramis candicante obtectis cortice prædita: foliis Ala-terno priori ferè ſimilibus, ſed firmioribus & minus ni-gricantibus, ſapore aliquantulum acri, in quo amaror eluceat: neque iſtius florem conſpexi, ſed fructu duntaxat jam onuſtam obſeruaui menſis Decembris initio, qui racematim inter folia propendebat, magnitudine gra-norum piperis, aut fructus Myrti, rotundus, niger, calidus, nucleum oſſeum & durum cortice candido & fragili obductum continens.*

TERTIA

Phillyrea II.



Phillyrea III. TERTIA ſuperioribus minor eſt plerunque: illius tamen arbuſculam vidiſſe memini duorum hominum altitudine, vnde ramulum auulſi, quem etiãnum apud me ſeruo cum pleriſque aliis ſtirpibus. hujus rami etiam candicante cortice obducuntur, vt in altera, ſed nonnihil rugoſo: folia habet ſuperioribus anguſtiora, neque vllis crenis ſerrata, colore ſecundæ ſimili, ſapore adſtringente: flores Oleæ puſilli ex herbaceo candidi, confertim naſcentes inter foliorum exortus: fructus deinde rotundus ſuperiori ſimilis.

Phillyrea IIII. QVARTA altitudinem humanam æquat, ramis minoribus, & frequentioribus quàm ſuperiores, cortice obductis nigriore: foliis Oleaſtri, anguſtioribus & viridioribus, non ſine amarore: flores etiam exigui, candicantes: oleæ ſimiles, ſimul congeſti, & inter foliorum alas circum ramulos naſcentes: quibus ſuccedit fructus, per maturitatem niger, baccarum Myrti magnitudine, oſſiculo duro præditus.

Phillyrea V. QVINTA, jam deſcriptæ, cùm forma, tum magnitudine ferè ſimilis eſt: ſed hujus rami tenuiores ſunt, rariores, neque ita conferti, frequentiores tamen virgæ ex radice germinant, fractu interdum contumaces: folia etiam ex aduerſo diſpoſita: ſed longiora & anguſtiora nonnihil, quàm in quarta, oleaſtri etiam modo firma, ſed ſaturatius vireſcentia, guſtu ſubacri. Hanc & flore & fructu carere mihi referebant: ſed & florem & fructum ſuperiori ſimilem proferre certum eſt.

Prior frequens eſt in incultis Luſitaniæ circa Eborã. Altera variis Luſitaniæ locis in ſepibus, ſed nuſquam copioſior, quàm circa Tomar inſignem Luſitaniæ pagum, vnde plurimum fructum detuli. Tertia deſertis Bæticæ locis: ejus etiam in Gallia Narbonenſi vnicam arbuſculam conſpexi, ad ingreſſum pagi Peraul ad

ſtagnum

Phillyrea III.



Phillyrea IIII.



ſtagnum Volcarum ſitum, ſecundo à Mompelio miliari. Quarta inuenitur copioſè in Caſtella noua, non procul à Tago, locis incultis, & frequẽter agro Mompeliano in ſepibus. Quintam nuſquam naſcentem vidi, quàm in incultis Caſtellæ veteris & Bæticæ.

Omnes autem, præter ſecundam, non modò in cultiſſimo horto illuſtris viri Dn. Ioãnis de Brancion, ſed etiam elegantiſſimis clariſs. viri Ioannis Boiſot, generoſæ Dn. Mariæ de Brimeu magnifici viri Conradi Scheti vxoris, generoſi Dn. Ioannis Dilſi, Raphaëlis de Coxia pictoris Regij, Georgij van Rye mercatoris Machlinienſis, & nonnullorum aliorum, qui re herbaria maximè delectantur.

Sed poſteriora tria genera alias ſpecies peperiſſe videntur: etenim nunc folio ſunt breuiore & latiore, nunc longiore & anguſtiore, interdum etiam per ambitum nonnihil ſerrato: cùm tamen omnes ex illis poſterioribus tribus quæ deſcripſi generibus nata ſint.

φιλλυρέα *Græcis dicta, Latinum nomen non habet. Prior nonnullis lingua vernacula* azebo *dicitur, illius ſemen Oxyacanthæ nomine ad Belgas miſſum. Altera Luſitanis* adorna. *Tertiæ, quartæ & quintæ incolæ nomina indifferenter dabant, modò* piadera, *modò* ladierna, *nunc* lentiſco, *nonnulli etiam* toruiſco *(quod Thymeleæ peculiare nomen eſt) nuncupantes: ſed duo poſteriora conſtanter quinto generi aſſignabant. Tertium genus Peraulanis, ſi bene memini,* alader *dicebatur. Quartum verò meo tempore ſtudioſi, nunc Oleaſtrum, interdum Halimum appellabant.*

DIOSCORIDES *Phillyreæ folia commanducata, ad oris vlcera commendat, aut ſi decocto colluantur: & pota vrinam ac menſes ciere dicit.*

De Rhamno.

CAP. XVI.

DVO *Rhamni genera Theophraſtus lib. 3. cap. 17. facit, album & nigrum, vtrunq; aculeigerum, & foliis perpetuis, fructu tamen diuerſo.*

Dioſcorides tria genera deſcribit, niſi mendoſus ſit textus, vt peritiſſimus Anguilara ſuſpicatur, qui tertium adſciticium eſſe putat.

Et ſanè, cùm Dioſcorides eaſdem facultates ſuo Paliuro tribuat, quas primo Paliuro Theophraſtus: veriſimile eſt tertij Rhamni deſcriptionem, quæ apud Dioſcoridem extat, ad Paliuri ejus hiſtoriam reuocandam eſſe, quandoquidem pleraſq; notas cõtineat cum Theophraſti deſcriptione communes.

Rhamnus I. EST *verò Rhamnus frutex ſepibus faciendis idoneus, ramis rectis, in multa virgulta ſeſe diuidẽtibus, candidis, validis ac firmis aculeis horrentibus: foliis, quæ plerunq; quaterna aut quina ad ſingularum ſpinarum exortus naſcuntur, oblongis, ſubpinguibus, oleæ ſimilibus, ſubalbidis, ſed teneris, & ſucculentis, quæ autumno, nouis ſuccreſcentibus, interdum decidunt: flores autumno longiuſculi, candicantes, extremis oris in quinq; crenas diuiſi: quibus decidentibus, quoddam ſeminis rudimentum vt in Iaſmino relinquitur: nunquam tamen ejus fructum videre mihi contigit: craſſa multipliciq; radice firmatur.*

Rhãni prioris altera ſpecies. *Iſtius generis alium obſeruaui ſimilem ferè, ſed humiliorem, & frequentioribus ramis fruticantem, minoribus foliis, & magis carnoſis, ſalſóq; guſtu, ſuperiore candidiorem; floribus ejuſdem cum illo formæ, ſed purpureo planè colore.*

Rhamnus II. ALTER, *flexibilioribus eſt virgultis & ramis, ſpinarum*

Rhamnus I.



Rhamnus 1. alter.



ſpinarum etiam vallo horrentibus, anguſtioribus foliis neq; adeò carnoſis, perpetuis tamen vti prioris; flos oleæ herbaceus circa ramos frequens, deinde fructus rotundus, qui per maturitatem flaueſcit, totáque hyeme in frutice perdurat. Totus verò frutex puluere videtur obſitus.

TERTIVM *his addo fruticoſum, frequentibus ramis, ſpini magnitudine, cortice nigro tectis, & ſpinis longis armatis: folia ex quibuſdam tuberculis, vt in priore, multa ſimul enaſcuntur, oblonga & anguſta, carnoſa, colore viridi, guſtu adſtringente, & Rhabarbari ſaporem ſatis referente, ſemper virentia: flos veris initio paruus juxta folia plurimus, & confertim naſcens, colore herbaceo: æſtate nigrum fructum fert pruno ſilueſtri ſimilem, rotundum, acerbum.* Rhamnus III.


Naſcitur prior multis Hiſpaniæ, Luſitaniæ & Galliæ Narbonenſis locis: Illius alteram ſpeciem vno tantũ loco inueni juxta Horiuëlam vrbem, Orcelim veteribus dictam ad flumen Segura, veteribus Serabin, regni Valentini extremis limitibus. Alter non modò in maritimis Belgicis, ſed etiam in quorundam mõtium vallibus, juxta amnes, quemadmodum & ſuperior prouenit. Tertium frequentem Granatenſi & Murciano regnis locis incultis inter alios frutices inueni.

NOMEN *Græcum* ῥάμνος*, Latinum etiam Rhamnus. Hiſpani priorem* ſcambrones *appellãt: alteram ſpeciem* ſpino: *tertium* ſpino negro.

Is fortè erit quem Bellonius in Creta inueniri ait fructu nigro. Ad nos ejus fructus ex Hiſpaniis poſteà miſſus eſt Lycij nomine, & in fruticem excreuit. Forſitan ad Rhamnum nigrum Theophraſti referri poſſet. Rhamnus niger Theophraſti.

DIOSCORIDI *omnium folia igni ſacro, & ſerpentibus vlceribus efficaciter illinuntur.*

Rhamnus III.



Salmanticæ & aliis quibuſdam Caſtellæ locis, prioris folia cum turionibus ex oleo & aceto edunt primis menſis; nonnullam enim acrimoniam cum aciditate conjunctam habent, quæ ſaporis gratiam conciliat.

Tertij fructus decocto, membra relaxata & diſſoluta, atq; etiam podagræ dolores vtiliter foueri incolæ referebant.

De Lycio quorundam.

CAP. XVII.

SVPERIORIBVS *adijciendus videtur hic frutex ſpinoſus, multas ab radice virgas proferens, cubitales, ſæpenumero ampliores, rectas, pulchras, tenues, rubentes, multis ramulis præditas, qui in acutam ſpinam plerunq; deſinunt: tametſi alios hinc inde ſparſos aculeos habeant, breues interdum & infirmos, nonnunquã verò oblongos, firmos, & multis foliis obſitos vt in Rhamno primo: folia nullo ordine digeſta, ſpini, ſed multo breuiora, Myrti Tarẽtinæ aut Buxi quodãmodo æmula, guſtu lenta & cum aliqua aciditate mordicantia. Ejus nec florem, nec fructum videre cõtigit: nam Nouembri & primo duntaxat vere, aliqua ex parte foliis viduatum hunc fruticem inueni.* Lyciũ quorundam.

Apud Complutum, aliisq; Caſtellæ veteris locis, & Bæticæ parte, quam vulgo Extremaduram vocant, circa fluenta, & decliuibus locis, quæ hyeme exundant, naſcentem obſeruaui.

QVONAM *hic referendus eſſet, diu dubitaui, & jam adhuc dubito. Sunt tamen nonnulli qui ad Lycium referri debere putant. Caſtellani* tamujos *ſiue* tamuëxos *vocant, iisq; ſcoparum vſum præbet: componitur etiã in faſciculos piſtorum fornacibus calfaciendis idoneos.*

Tamoxo. CÆTERVM, *vox* tamuëxo, *mihi in memoriam reuocat quendam ſuffruticem in incultis naſcentem, quem incolæ* tamoxo *appellant. Aſſurgit is pedali altitudine, frequentibus ramuſculis præditus, qui foliolis adeò exiguis, & confertis onuſti ſunt, vt nullum ferè lignum conſpiciatur: ea ex cinereo vireſcunt, & extremæ ſunt amaritudinis.*

De Halimo.

CAP. XVIII.


VNVM *Halimi genus Dioſcorides deſcribit. Plinius duo genera recenſet, & etiam tertium addit ex Crateua.*

Halimus 1. HALIMVS *ergo Dioſcoridis, quem & maiorem, & latifolium appellare licet, frutex eſt omnino candidus, Rhamno ſimilis, imò eo candidior, eadem altitudine aſſurgens, multis ramis ex vna radice prodeuntibus, craſſis, lignoſis, & fragilibus, ſine vllis ſpinis: folia oleæ, aut potius Rhamni, ſed breuiora & latiora, interdum rhomboide figura, candida, carnoſa, & veluti ſplēdentia, ſapore acido, circa ramos, nullo ſeruato ordine, temerè naſcuntur: flos oleæ ferè, muſcoſus, purpuraſcēs, racematim cohærens in ſummis ramis: ſemen deinde copioſum, latum, Atriplicis, aut Portulacæ quam marinam vulgo appellant: radix dura, lignoſa, & in multos ramos ſparſa. Floret æſtate, ſemen autumno matureſcit: inueni etiam Decembri florentem, & maturo ſemine onuſtum.*

PLVRIMVS *ſpontè prouenit Vlyſſippone, viciniſq́ locis ad Tagum, aut eius oſtia, & paludes mari proximas in ſepibus mixtim cum Rhamno, aut ſolus. Hiſpali item in ſepibus. Natus etiam nobis ex ſemine*

quod

Halimus I.



quod Vlyſſippone detuli, qui etiam nunc apud quoſdã rei herbariæ ſtudioſos alitur: verùm non ita candicat, vti natali loco, ſed ampliora etiam adeptus eſt folia, Atriplicis ſilueſtris ferè magnitudine & figura, carnoſa tamen, & ſalſedinis nonnihil retinentia.

Fruſtra hunc, verbis Amati Luſitani inductus, Salmanticæ ad ædem D. Virginis a Veiga flumini Thormi vicinam, ſæpè requiſiui: ſed Rhamnum copioſè iſtic, quemadmodum tota ea parte ſuburbiorum in ſepibus inueni. Niſi fortè Atriplicem ſilueſtrem, iſtic vt pleriſq; aliis locis ſatis frequentem, pro Halimi frutice ſumpſerit.

Halimus II A LIVD *Halimi genus, ſupra cubitalem, aut ſeſquicubitalem non aſſurgit altitudinẽ, flagellis potius, quàm ramis, infirmis, quæ plerunque procumbunt & humi funduntur, candidis quidem illis, ſed non vti ſuperioris rami: hujus folia oblonga, anguſta, cinereo & candicante colore, pinguia & carnoſa: flos ſummis flagellis racematim cohærens innaſcitur, colore potius herbaceo quàm purpuraſcente: deinde ſemen ſuperiori ſimile ferè, ſed paulo minus. Floret quo ſuperior tempore.*

In maritimis regni Valentini naſcitur: memini etiã vidiſſe in aggeribus illius inſulæ, quam duo Rhodani cornua faciunt inter Arelaten & Fanum D. Ægidij. Alitur etiam à noſtratibus in hortis.

Halimus III. A D *Halimi etiam genera referri poteſt alia planta non modò in maritimis Mediterranei maris, ſed etiã ad Oceanum ſitis, vti in aggeribus Flandriæ, Zelãdiæ, & Hollandiæ naſcens, pedalibus ramis humi procumbentibus, ex cinereo colore purpuraſcentibus, foliis priori ſimilibus, longè tamen minus candidis, & ex viridi potius caneſcentibus, pinguioribus verò, ſiue magis carnoſis: flos etiam extremos ramulos ambit racematim,*

ex

ex herbaceo purpuraſcens: ſemen ſecundo ſimile.

PRIMVS legitimus eſt Dioſcoridis ἄλιμος, & mitius genus Plinij: Luſitani ſalguedeiras, à ſalſugine, ni fallor; Hiſpalenſes mariſma, quòd maritimis creſcat, vt veriſimile eſt, appellant. Alter ſilueſtre genus Plinij videtur; iſtius vulgare nomen mihi ignotum. Tertius vulgò Portulaca marina dicitur.

Omnes autem perpetua ſunt fronde, & aliquid adfine cum Atriplice ſilueſtri (cujus varia inueniuntur genera foliorum amplitudine & exilitate inter ſe differentia) habere vidētur, & fortè etiam facultates non abſimiles.

HALIMI folia Dioſcoridi & Plinio, cibi gratia decoquuntur: radix drachmæ pondere in aqua pota, tormina diſcutit, ruptaq́; & conuulſa mitigat. Plinius deinde vtrumq; genus prodeſſe dyſentericis etiam exulceratis cum pane, ſtomacho verò ex aceto. Vlceribus vetuſtis illini crudum, & recentium vulnerum impetus lenire, & luxatorum pedum ac veſicæ dolores: ſed in eiſdem remediis, effectus majores ſilueſtris eſſe, & in ſananda hominum ac pecorum ſcabie, &c.

Luſitani certè tenellas prioris cimas in cibos recipiūt, quemadmodum Rhamni. Clariſs. eques Dn. Damianus de Goës, idemq́; vir doctiſſimus, Halimi majoris folia cum furfuribus decocta, & podagris quæ à cauſa calida proueniunt, malagmatis modo calida impoſita, dolores lenire mihi affirmabat.

Tertij generis turiones & folia Flandri Oceani accolæ ſale condire ſolent, & in vſum ſeruare, vti in Tyrrheni maris maritimis fœniculum marinum.

De

De Arbuto.

CAP. XIX.

ARBVTVM *Theophraſti à Dioſcoridea differre peritiſſimus rei herbariæ Anguillara cenſet. Cujus ſanè ſententiæ non poſſum non ſubſcribere: cùm Arbutus mihi hactenus obſeruata, nihil cum Cotonea malo ſimilitudinis habeat.*

Arbutus. EST *verò pumila arbor, aut potius frutex, frequētibus ramis, quorum ſummitates rubeſcunt: alioqui trunco & majoribus ramis ſatis ſcabro cortice tectis: folia inordinata ramos ambiunt, Laurinis ſimilia, interdum non minora neq; tenuiora, per ambitum ſerrata, ſemper virentia, læuia, & ſplendentia: flores extremis ramis ſingulari appendice racematim cohærent, albi, qua verò parte ſoli obuertuntur, nonnihil purpuraſcentes, concaui, Lilij conuallium floribus perſimiles: fructus frago ſimilis, orbiculatus, multo major, & rotundis prunis interdum non minor, primò viridis, deinde ſubluteus, poſtremò, vbi plenè maturuit, rubro colore elegantiſſimo conſpicuus, interiore tamen carne palleſcente, edulis, & à tenuis fortunæ hominibus admodum expetitus, ideoq; Vlyſſippone, & aliis quibuſdam locis venalis à mulierculis in foro proponitur: ſemen milio non multò majus, in meditullio continet, membrana obductum tenui.*

Copioſè in incultis Bæticæ & Luſitaniæ inter Myrtum, Ciſtum & alios frutices prouenit, ſemperq; ferè, aut florens, aut fructu onuſta conſpicitur, imò interdum & flore & fructu abundans: ſolet enim deciduo flore nouum germen extremis ramis proferre, in ſponſionem alterius floris. Memini & in Gallia Narbonenſi obſeruaſſe. Creuit apud nos etiam ex ſemine, & à nonnullis

Arbutus.



nonnullis in fictilibus alitur, & cum aliis perpetua fronde virentibus diligentiſſimè ſeruatur.

Bellonius libro 1. obſeruationum cap. 43. refert, in vallibus monti Atho, (veteribus adeò celebrato) vicinis, Arbutos naſci vaſtæ magnitudinis, cùm alibi duntaxat fruticent: vt minus mirum videri debeat, ſi Iuba (referente Plinio lib. 15. cap. 24.) quinquagenûm cubitorum in Arabia eas eſſe auctor eſt.

Dicitur autem Græcis κόμαρος, *Latinis Arbutus, Hiſpanis* madroño, *Luſitanis* madronho, *Gallis* arbouſier: *fructus Græcis* μεμαίκυλον, *Latinis Vnedo, Hiſpanis* madroños, *Gallis* arbouſes.

AMATVS *Luſitanus ex Arbuti foliis & floribus aquam vitreis organis elici ſcribit, eamq́; ſeruari tanquam ſacratiſſimum aduerſus peſtem & venena antidotum.*

De Vua Vrſi.


CAP. XX.

NON *ineptè ſuperiori conjungenda videtur hæc planta, cujus iconem hîc ſubÿcio.*

Vua Vrſi Galeni.

FRVTICAT *pedalibus ferè ramulis, flexibilibus & obſequioſis, humi diffuſis, cortice rubeſcente tectis, quemadmodum teneriores Arbuti ramuli: folia illi frequentia & inordinata Arbuti, ſed minora, carnoſa, neque ſerrata, & Chamæleæ Italicæ folia planè æmulantia, minimè tamen hirſuta, & cum adſtrictione amaricantia: extremis ramulis flores profert ex cãdido purpuraſcentes, ſiue candidos, quibus aliquantulum purpuraſcentis coloris admiſtum ſit, concauos, florum Arbuti ſimiles, & vuæ modo ſimul congeſtos. fructum ejus (quem non vidi) incolæ rubentem, rotundum, inſtar minuti*

Vua vrſi.



minuti Cerasi, acidum referebant: radix non magna, & lignoſa. Perpetua fronde etiam viret.

Unico loco naſcentem conſpexi arido ſolo, via regia in colle imminenti viculo cuidam Venta el baul *vocato, inter Guadix & Baça regno Granatenſi, jam florētem Martio: ſerius tamen florere plerunq;, incolæ dicebāt, fructum æſtate matureſcere, & in planta ad hyemem vſq; perdurare.*

Chamædaphne. PERITIORES *quidam Hiſpani quibus eam oſtēdi, Chamædaphnen eſſe exiſtimabant, craſſitie foliorum proculdubio decepti. Mihi verò ad amuſſim quadrare videtur* ἀρκτοσταφίλῳ *quam Galenus lib. 7. cap. 4. de compoſit. med.* κτ̃ τόπους *his verbis deſcripſit:*

Vua Vrſi in Ponto naſcitur. Planta humilis & fruticoſa, folio Memæcyli, fructum ferens rubrum & rotundum, guſtu auſterum.

Vitis idæa Theophr. *Nam quòd nonnulli Vuam Vrſi Galeni à Theophraſti Vite idæa non differre putent, fallūtur illi meo judicio; quandoquidem Vitis idæa nihil aliud eſſe videtur, quàm Myrtillus officinarum Germanicarum foliis Buxi rotundis, fructu nigro, tametſi in ſummis Alpibus fructu rubro etiam inuenerim & quibuſdam Belgij locis, folio paulò craſſiore.*

De Tino ſeu Lauro ſilueſtri.

CAP. XXI.

Lautus ſiluatica. INTER *Lauri genera Plinius lib. 15. cap. 30. Tin[i] meminit, nulli fortè veterum prætereà cognitæ, niſi M[.] Cato lib. de re Ruſtica cap. 8. eam Lauri ſiluaticæ no[-]mine intelligat. Cujus tria obſeruaui genera nonnihi[l] inter ſe differentia.*

Tinus 1. PRIOR *frutex eſt Cornus feminæ magnitudine*

virg[...]

virgis oblongis & quadrangulis, ramoſis, foliis ordine diſtinctis, & perpetuò geminis ſimul inter ſe aduerſis, magnis & latis, Cornus feminæ ferè ſimilibus, ſed ad Laurina accedentibus, nigricantibus & ſplendentibus, perpetuis, nullo odore, ſapore amaro, cum nonnulla adſtrictione: ſummis ramis vmbellas florum quinis foliis conſtantium profert candidorum & odoratorum: deinde fructus ſuccedit Myrti baccis paulò longior, planior, anguloſus, cærulei coloris elegantiſſimi.

Naſcitur locis præruptis & lapidoſis inter alios frutices, & in ſepibus circa oppida Luſitaniæ Montemor ho nouo, & Tomar, vbi cum ſuo flore & fructu collegi menſe Nouembri, tametſi aliâs Iulio & Auguſto floreat, fructus maturetur Octobri.


ALTERA, *eadem qua ſuperior altitudine aſſurgit, ramis frequentioribus & firmioribus, & cortice ex rubro vireſcente tectis: circa quos folia ſuperioris, anguſtiora & oblongiora aliquantulum, & venulis pluribus diſtincta, ſibi inuicem oppoſita vt in priore: flores extremis ramis vmbellatim etiã naſcuntur, colore nonnihil purpuraſcente, neq; adeò odorati, vti ſuperioris: fructus etiam minor, plenior, nigrior.* Tinus II.

Vno duntaxat loco in Luſitania quodam monaſterio Pera longa dicto locis incultis ſupra Vlyſſipponem extructo obſeruaui ſecundum piſcinas, & in Bætica maritimis.


TERTIA *mihi primum in Belgicis hortis conſpecta eſt, ſemine ex Italia delato nata apud clariſs. virũ Dn. Ioannem Boiſot, diligentiſs. & peritiſſimum rei herbariæ cultorem, arbuſculæ magnitudine. quæ ſingulis annis & florem & fructum profert. Alunt nunc & plerią; alij rei herbariæ ſtudioſi, tum nobiles matronæ, tum viri, ramis ex ea quam dixi arbuſcula deſumptis,* Tinus III.

F *& terræ*

Tinus II.



Tinus III.



& terræ commiſſis enatæ. Minore verò ea eſt, quàm ſuperiores folio, Laurino tamen latiore, læui & nigricante, perpetuò, ramos ordine quodam per interualla ambiente, vti in prioribus generibus: vmbellæ florum alborum foris nonnihil purpuraſcentium ſummos ramos coronant. deinde fructus ex cæruleo nigricans, læuis, minor quàm in aliis. Bis plerunq; floret vere & ſub hyemem.


NONNVLLIS *Græcè* δάφνη ἀγρία, *à Plinio Tinus & Silueſtris Laurus. Luſitani priorem* Vua de perro *(tametſi et alia quædam planta diſſimilis hoc nomine donata ſit.) Alteram verò* follado, *à foliorum ni fallor frequentia,* Bætici durillo. *Italicam Anguillara* lauro ſaluatico *vulgari nomine dici ait, & à Brutiis* moleſſo: *Bellonius* lentagine *nuncupat.*

De Lentiſco. CAP. XXII.

Lentiſcus. LENTISCVS *maxima ex parte ſolùm fruticat, multis ab vna radice ſtolonibus & virgultis aſſurgens, lentis, & viminis inſtar obſequioſis, cortice cinereo obductis: interdum verò cùm non reſecatur, & negligitur (vt pleriſq; locis ad Anam flumẽ obſeruaui) in arborem juſtæ magnitudinis excreſcit: folia Glycyrrhizæ, firmiora & duriora, atro virore ſplendentia, alata, hoc eſt in longo pediculo vtrinq; ſita, foliorum inter ſe ſemper contrariis pediculis, vt in Terebintho, Juglande, Fraxino, Sorbo, & pleriſq; aliis, nullo tamen extremo, imparitatẽ vt in illis faciente, jucundi cum quadã grauitate odoris, ſapore acidiuſculo & adſtringente: iis nonnunquam adnaſcuntur veſiculæ aut folliculi, culicibus exiguis pleni vt in Terebintho: flos in alarum cauis circum oblongum pediculum racematim cohærens,*

muſcoſus,

Lentiſcus.



muſcoſus, colore ex herbido palleſcente nonnihil purpuraſcens: fructus deinde initio viridis, mox ex purpureo rubens, per maturitatem niger & oleaginoſus, erui magnitudine, nucleo duro, nigro, cãdidam medullam continente.

Prouenit copioſè per Luſitaniam, Bæticam, regnum Valentinum, & toto illo tractu ad mare Mediterraneum obuerſo, & in Gallia Narbonenſi: floret Aprili, fructus Octobri & Nouembri primùm matureſcit.

Bellonius lib. 2. obſeruat. cap. 8. refert in inſula Chio copioſiſſimum eſſe Lentiſci prouentum; &, quòd primariæ inſularium opes & fortunæ conſiſtant in Maſtichis, quam ſola hæc inſula ſubminiſtrat, collectione, nõ minore impenſa & diligentia Lentiſcos iſtic excoli, quàm in Gallia Vites: non differre tamen arborem ab ea, quæ cùm in Gallia Narbonenſi, tùm in Italia prouenit.

DICITVR *Græcis* σχῖνος, *Latinis Lentiſcus, Hiſpanis* mata, *& à nonnullis* xarueca, *Luſitanis* arueira, *Gallis* lentiſque. *Ejus reſina* ῥητίνη σχινίνη, *&* μαστίχη, *Latinis Reſina Lentiſcina & Maſtiche, officinis Maſtix, Hiſpanis* almaſtiga; *oleum ex Lentiſci baccis expreſſum,* azeyte de mata.

TRIBVIT *Dioſcorides Lentiſco, Acaciæ & Hypociſtidis vires: Maſtichen ſanguinis rejectionibus & tuſſi veteri vtilem eſſe dicit: oleum quod è ſemine fit, cùm quid adſtringendi opus eſt.*

Cùm in Narbonenſi Gallia degerem, oleum ex Lentiſci baccis exprimebatur magni ad varia vſus, quod in peregrinas regiones aſportabatur.

Nunc adhuc dentiſcalpia repurgandis dẽtibus idonea, non minus quàm olim, ex Lentiſci ramulis conficiuntur. Hiſpani tamen majori ex parte feſtucis ex

Gingidij

Gingidij ſiue Biſnagæ vmbellis detractis dentes à cibo repurgare ſolent, tametſi copiosè apud eos naſcatur Lẽtiſcus: ſed vnica Biſnagæ vmbella plurima dentiſcalpia ex tempore ſubminiſtrat.

De Terebintho. CAP. XXIII.


TEREBINTHVM *in duo genera diſtinguit Theophraſtus lib. 3. cap. 15. marem & feminam: marem ſterilem faciens, feminam fructiferam: feminarum alia fructum protinus ruffum promit lentis magnitudine, qui concoqui nequit; alia, viridem editum, ruffum poſtmodum tingit, poſtremò nigrum facit magnitudine fabæ, &c.* Terebinthus mas. Terebinthus femina.

Ego tot differentias non obſeruaui, tametſi diligenter perquiſiuerim: niſi differentiæ eæ ſint appellandæ, cùm vna planta per omnia alteri ſimilis fructum interdum ad maturitatem non perducit, interdum etiam cùm nondum adulta ſit, aut nimis vmbroſo loco & iniquo proueniens, nullum ferat.

PORRO *maxima ex parte Terebinthus fruticat: ramis longis, raris, cortice cinereo obductis: folia illi Laurinis, aut Piſtaciæ potius (quæ omnium conſenſu Terebinthus Indica eſt, cujus Theophraſtus libro 4. cap. 5. meminit) ſimilia, ejuſdem cum illa odoris, circa vnum pediculum conjugatim quemadmodum Sorbo naſcentia, vno folio, quod extremo pediculo inhæret, imparitatem faciente, & hyeme (quantum videlicet mihi obſeruare licuit) decidua. Verè, cùm nouella folia (quæ prorſus rubent ferè) extremis ramis germinare incipiunt, naſcitur è tuberculis ramorum flos copioſus, & muſcoſus Oleæ, purpuraſcens, ſiue ruffeſcens, racematim compactus, qui ſucceſſu temporis in fructum ef-* Terebinthus. Terebinthus Indica.

 formatur

Terebinthus.



ormatur Lentiſco ferè ſimilem, paulò majorem & lõ-
iorem, initio viridem, circa vindemias, dum matu-
uit ex cæruleo viridem, tactu pinguem & reſinoſum,
anusq; dum colligitur inficientem, medullã in ſe con-
nentem nucleo incluſam. In pleriſque verò fruticibus,
nte quàm planè maturetur, & cùm jam rubedinem
ontraxit, inane decidit, ſimile plane Carpobalſamo
uod in officinis venale inuenitur. Fert etiam circa vin-
emiarum tempus concauas quaſdam nuces ſeu veſi-
ulas foliis & ligno inhærentes, quales ferè in Vlmi fo-
is, ſed pallido aut purpuraſcente colore: interdum
iam extremis ramis oblonga & cartilaginea corni-
ula, nunc in hanc, modò in illam formam excreſcen-
a, concaua, quæ (vti etiam nuces) ſi aperiantur, len-
rem quẽdam continent cum cinereis & fuliginoſis ex-
rementis, & exigua animalcula alata.

Spontè prouenit plurimis Luſitaniæ, Hiſpaniæ, &
Galliæ Narbonenſis locis, vbi interdum in arboris for-
nam aſſurgit: ſed maxima ex parte ſolùm fruticat, vt
ixi: nuſquam tamen, quod ſciam, locis commemora-
is, reſina ex Terebintho elicitur. Bellonius in Syria et
Cilicia copioſam inueniri, quæ venalis Damaſcum ad-
ratur: & in Meſopotamia, quam Turcæ Aſamiã
ocant, quæ in Cairo venditur, refert.

GRÆCI τέρμινθον, Latini Terebinthũ, Galli tere-
inthe, Hiſpani nõnulli cornicabra, à corniculis vt exi-
imo. Fructũ ejus Auicenna Granũ viride vocat. Ejus
eſina ῥητίνη τερμινθινὴ Græcis, Auicennæ gluten albotin. Granum viride.

EIVS cortici & foliis eaſdem vires Dioſcorides tri-
uit quas Lentiſco, ſimilemq; eſſe illorum & parandi
& ſumẽdi rationem. Præterea fructum eſui aptum eſſe,
d ſtomacho aduerſari, excalfacere, vrinam mouere,
enerem excitare, contra phalangiorum morſus conue-
ienter in vino bibi.

Bellonius ſanè lib.2.obſeruat.cap.96.refert,in Arabem quendam ruſticum, cùm in Cilicia eſſet, incidiſſe, qui Camelum Terebinthi fructu onuſtum ageret Damaſcum, vt eum fructum iſtic venderet, ibiq; vulgo in cibum recipi.

Refert idem (quod ab alio nemine obſeruatum puto) lib.1, cap. 65: & lib.3.cap.49. Thraciæ & Macedoniæ ruſticos menſe Iunio diligentiſſimos eſſe in colligendis nucibus illis aut veſiculis Terebintho adnaſcentibus, cùm jam primum ſunt efformatæ, & gallarum dūtaxat ſunt magnitudine, ante quàm in ampliorem formam aut cornicula excreſcant, & magno iſtas vendere Pruſæ Bithyniæ vrbe, quoniam earum magnus eſt vſus, ad ſericea ſtamina variis coloribus imbuenda: atque in eum vſum ſolummodo, plus quàm ſex milia pondo earum gallarum inſumi.

Veſicularū in Terebintho vſus.

E I V S *reſina reliquas antecellit teſte Dioſcoride: Galenus tamen nonnullarum facultatum ratione maſtichen præferendam cenſet.*

De Althæa frutice.

CAP. XXIIII.

Althæa fruticans.

F R V T I C A T *hæc, aut arbuſculæ modo aſſurgit, caudice craſſo, lignoſo, multis magniſq; ramis brachiato, qui in alios minores duros etiam, lignoſos & minimè obſequioſos, cortice cinereo lentoq; tectos diuidūtur: folia Althææ ſimilia, minora tamen, rotundiora, mollia, & incana planè: flos extremis ramulis, & inter foliorum exortus naſcens purpureus, quinq; foliis cōſtans, Maluæ ſilueſtri ſimilis, & major Althæa vulgari: ſemen Althææ ſimile, planum.*

Illam tantùm juxta vrbem Horiuelam, extremis limitibus

Althæa frutex.



*limitibus Valentini regni Murciano finitimi obſerua-
ui Martio florentem, apud Rhamni prioris alterã ſpe-
ciem: an verò ſit perpetua fronde ignoro.*

Althæa alia. DIFFERT *verò ab hac noſtra, quam doctiſſimus Lobelius Althææ arboreæ nomine exhibet: cujuſq; ſemẽ aliquando nobis communicatum, & terræ mandatum feliciter prouenit, radice craſſa pinguiq;, vt in Althæa vulgari, ſed duriore & lignoſiore fulta, multos ſtolones ſingulis annis humana altitudine protulit, ſed ſuperueniente hyeme marceſcentes. Floret verò ea nobis Auguſto primùm, & Septembri ſemẽ maturatur, ſeipſam ſemine à ventis excuſſo ſerens.*

De Periclymeno recto.

CAP. XXV.

PERICLYMENVM *vulgare, cujus duo genera recenſentur, plerunq; vicinis fruticibus ſeſe circũuoluit.*

Aliud item eſt genus, quod nullo adminiculo egẽs per ſe conſiſtit. Iſtius etiam plura genera numerantur.

PRIMI *generis erecti cùm luculenta deſcriptio exſtet libro tertio Purgantium Hiſtoriæ clariſs. Dodonæi Cæſarei medici, non eſt hîc repetenda.*

Periclymenum rectum II. EST *verò aliud genus multò humilius, ramis multò gracilioribus & rarioribus cortice albicante tectis: folia quàm prioris teneriora, longiora, per ambitum nonnihil ſerrata, ſuperiore parte virentia, inferiore verò paululum lanuginoſa, non adeò tamen vt ſuperioris: tenellis germinibus inter folia enaſcuntur exiles pediculi, vnum, plerunq; binos flores ſuſtinentes, ſuperiore minores & teneriores, neq; vt illi palleſcentes, ſed purpuraſcentes, quibus ſuccedunt fructus gemelli, non minores quàm in ſuperiore, ſed colore nigro, ſucculenti,*

gustu

Periclymenum rect. II.



guſtu ingrato, radix dura, lignoſa.

Periclymenum rectũ III.

TERTIVM *genus eſt omnino humile, raroq́ ad cubitalem accedit amplitudinem, ramis ſecundo craſſioribus, candidioribus, lentis & fractu contumacibus, contra quam in duobus ſuperioribus, folia omnium maxima, Laurinis non minora, per extremum mucronata, ſupernè virentia, infernè candidiora, ſed nulla lanugine obducta, neq; in ambitu ſerrata, duriora etiam quam ſuperiorum: flores in oblongo craſſiuſculoq́ pediculo gemelli, præcedenti forma ſimiles, ſed flore candido: fructus plerunq; vnicus, rarò geminus, tametſi gemino flori ſuccedat, omnium craſſiſſimus, exigui ceraſi magnitudine, ruber, ſucculentus, tranſparens, duobus in ſummo vbi flores inhæſerunt veſtigiis inſignitus, ſed vnicum granum continens.*

Floret vterq; cum aliis Periclymeni generibus, & ſemen alterius Iulio, tertij Auguſto matureſcit.

Rarus eſt inuentu ſecundus, & vnicum fruticem inueniſſe memini in Pyrenæis, duos aut tres in montibus Sabaudicis, & totidem etiam elapſa æſtate in Pannonicis Alpibus.

Tertius, & in Pyrenæis & Sabaudicis frequentior, ſed omnium abundantiſſimè in Pannonicis, præſertim ſupra monaſterium Neuberg, vbi, & in reliquis Alpibus vicinis, plurimæ ſtirpes elegantiſſimæ proueniũt, de quibus propediem Deo volente.

QVO *nomine vulgari vtrumq; hoc genus inſigniatur, nondum intellexi; ſed neq; facultates ſunt mihi perſpectæ.*


De Arbore vitæ. CAP. XXVI.

Arbor vitæ.

ADMODVM *elegans eſt hæc arbuſcula, perpetu fronde virẽs, caudice recto, ligno duro, nodoſo, paulatim*

ſuccreſcent

Arbor vitæ.



ſuccreſcente, cortice ex rubro nigricante, frequentibus admodum ramis in alarum formam expanſis, qui in alios ramulos planos alternatim è latere ſuccreſcentes diuiduntur, & ij denuo in alia atq; alia oblonga folia, è multis foliolis, quaternis ſimul ſemper compoſitis cõſtantia expanduntur: flores vere extremis foliis prodeunt, quemadmodum in Cupreſſo, puſilli, flaueſcentes, quorum nonnulli deinde in exiguum fructum pinei nuclei magnitudine efformantur, coni modo è ſex ſquammulis tenellis compactum, primò viridem, deinde palleſcentem, & vbi planè maturuit, nigricãtem, quaterna plerunque ſemina paleacea; medio (in quo medulla acris & amariuſculi ſaporis) extuberante continentem. Tota arbor admodum odorata eſt, reliqua congeneres longè ſuperans odore; quem, ſi quis digiti nonnihil duntaxat folium confricauerit, facilè eluer non poſſit: Hũc autem non modò viridis ex ſe exhalat ſed etiam multis jam annis exciſa & exſiccata retinet

Conſpecta mihi primùm fuit in horto regio Fontain belleau non procul Aurelia Gallorum; eò ex America Septẽtrionali ora Canadas dicta delata, (nec antè Eu ropæ, vt exiſtimo cognita) Gallorum imperium obti nente Franciſco hujus nominis primo, literatorum om nium ſummo Mæcenate. Deinde apud doctiſſimu virum Nicolaum Raſſium Regis chirurgum celeber rimum, eundemq; omnium Naturæ miraculorum ſtu dioſiſſimum & peritiſſimum, qui primus eam mea op ra Belgio communicauit, vbi nunc adeò frequens eſ vt nullus ſit rei herbariæ ſtudioſus, qui eam in ſuo hor non alat: facilè enim rami in terram depacti radic agunt, quemadmodum plerunq; ſum expertus. Frig ris autem patientiſſima eſt: hyeme tamen fuſcum & f liginoſum colorem contrahentibus foliis, quæ nouo ve

priſtinu

priſtinum nitorem & virorem recipiunt.

A D *quam veteribus deſcriptam referenda ſit, non facilè quis conijciat.*

Plurimi θύαν *quam Theophraſtus lib.4.cap.1. mõtium cacuminibus, locisq́; algentibus excelſam naſci tradit, eſſe exiſtimant, & cujus lib.5. cap.5. meminit in hæc verba: Thyum, quod Thya ab aliis appellatur, naſcitur apud Ammonis fanum, & in Cyrenenſi agro, forma Cupreſſo ſimilis, cùm ramis, tum foliis, caudice, fructuq́;: vel potius ceu Cupreſſus ſilueſtris. Copioſam, vel vbi vrbs hoc tempore eſt, comperiri affirmant: atq; etiam memorant contignationes quaſdam vetuſtiſſimas Thuiæ: perdurat enim hæc materies incorrupta. Radice hujus arboris nihil criſpius, eaq́; pretioſa opera conficiunt. Simulacra ex his ſculpere ſolent cedro, cupreſſo, loto, buxo, minora etiam ex olearum radicibus. Hæc Theophraſtus.* Thya Theophraſt.

Pauſanias in Arcadicis ait ex nulla arborum quibus olim ſimulacra conficere ſolebant, ebeno, cupreſſo, cedro, quercubus, loto, taxo, Mercurij ſimulacrum confectum eſſe, ſed ex Thyo, pedum octo longitudine.

Porrò Anguillara nihil aliud Theophraſti Thyam eſſe cenſet, quàm Sabinam primam, ſiue vulgarem. Sed licet Sabina interdum inueniatur baccifera; ejus tamẽ fructus, qui juniperi vulgaris fructu non eſt major, multum abſimilis eſt cupreſſino, cui Thyæ fructum Theophraſtus ſimilem facit, quemadmodum & totam Thyæ plantam cupreſſo. Et facilè in doctiſſimi Guilandini ſententiam problematis 9. & 10. defenſione concesſerim, plurimum ad Thyæ hiſtoriam à Theophraſto proditam accedere arborem ſui generis Cupreſſo ſimillimam in Syria, Ægypto & Arabia naſcentẽ, cujus fructus abhel *toto oriẽte notiſſimus, pilularũ* Sabina. Abhel.

Cupreſſi magnitudine, colore rufo in nigrum declini.

Bruta Plinij. *Nõnulli ad arborem Brutam, cuius Plinius lib. 12. cap. 17. meminit, referunt. Petunt, inquit, in Halimæos arborem Brutam, Cupreſſo fuſæ ſimilem, exalbidis ramis, iucundi odoris accenſam, & cum miraculo hiſtorijs Claudij Cæſaris prædicatam. Folia inſpergere potionibus Parthos tradit: odorem eſſe proximũ cedro, fumumq́; eius contra ligna alia remedio. Naſcitur vltra Paſitigrin in finibus oppidi Sitacæ, monte Zagro.*

Hæc quidem arbor ad Cupreſſum nonnihil accedit: verùm ramos ſurſum non attollit quemadmodum illa, ſed in planas veluti alas expanſos, vt dixi, in latitudinẽ diffundit. Hujus item folia tametſi ex foliolis ſquãmatim compacta, plana ſunt omnino, non rotunda, vti cupreſſo, Junipero majori, Sabinæ: nec rotunditatem ante contrahunt, quàm in ramos excreſcant.

Arbor vitæ. *Galli* arbre de vie, *hoc eſt, arborem vitæ nuncupãt, neſcio qua ratione ducti, niſi fortè ab odoris vehementia: quod nomen etiam vulgo retinuit.*

Arbor Filici ſimilis. HANC *deſcribere videtur Ouiedus lib. 9. cap. 14. his verbis: Sunt præterea nonnullæ aliæ, quas inter arbores recenſeo, craſſitie & longitudine prealtæ Pini, cujus folia Filicem Hiſpanicam planè referunt, tametſi longè majora: ſed ejuſdem formæ, vt videlicet ſingulæ folia è multis folijs ſimul connexis conſtent. Habent igitur iſtæ arbores folia veræ Filici omnino ſimilia, ſatis viridia: & magna ex parte ſpontè naſcuntur in torrentium ripis, & conuallibus humidis. Hæc Ouiedus.*

NON *dubium eſt, quin hæc arbor ad pleraq; ſit vtilis: ſed nemo eſt, qui noſtro æuo illius facultates, quod ſciam, prodiderit. Cùm tamen magnam habeat partium tenuitatem, & amariuſcula ſit, veriſimile eſt digerendi & abſtergendi facultate præditam eſſe.*

De


De Iunipero. CAP. XXVII.

IVNIPERI *duo genera veteres conſtituunt, majorem & minorem. Dioſcorides vnius fructum nucis Iuglandis magnitudine interdum grandeſcere, alterius nucem Ponticam æquare ait: cùm tamen reliqui veteres myrto haud majorem fructum Iunipero tribuant: ſed nec ipſe cap. de Cedro.*

VERVM *de Iunipero cui ſpina pro folio eſt, hîc non agemus: ſed de ea duntaxat cujus deſcriptio rejecta eſt, tanquam notha, à Dioſcoridis interprete.*

Eſt autem ea, frutex humanam altitudinem raro ſuperans, caudice minimè recto, ſed contorto, multis ramis prædito, cortice ſcabro: folia carnoſa & ex continua quaternorum foliorum ſibi inuicem connexorum ſerie compoſita, quemadmodum in Cupreſſo: flores Iunipero alteri & Oxycedro ſimiles, lutei, ſed extremis foliis vt in Cupreſſo inſidentes: quibus ſuccedit fructus baccarum myrti magnitudine, rotundus, primùm viridis, deinde ad phœniceum colorem tendens, qui maturitate nonnihil molleſcit, ſapore & odore Iuniperi baccis ſimili, qui tria aut quaterna, vel etiam plura grana oblonga & ſtriata habet, medullam albam & reſinam olentē continentia. Vere floret, fructū diu retinet ante quā matureſcat, vti Iuniperus. Primùm è ſemine natus hic frutex, dūq; adhuc tener eſt, folia habet omnino diſſimilia, vtpote quæ alterius juniperi folia æmulētur, niſi breuiora eſsēt et paulò molliora: cùm verò iam tertium annū aut quartū exceſſit, rotūda & cupreſſea folia efformare incipit: vt interdum inferiores rami pungentibus & acutis folijs, ſummi verò obtuſis & rotundis onuſti conſpiciantur. Quam metamorphoſim niſi quis diligenter obſeruauerit, facilè in errorem induci poſſit, vt credat adoleſcentem à jam adulta diuerſam plantam eſſe. Iuniperus maior.

Iuniperus major.



NASCITVR *in Tyrrheni maritimis, veluti inter Calpen & Malacam, Bæticæ ora maritima, & Galliæ item Narbonenſis.*

CONVENIT *optimè hic frutex cum Iunipero majore Dioſcoridis, inter ſpuria, vt dixi, rejecto, cujus hæc eſt deſcriptio.*

IVNIPERVS *magna, quam aliqui ſilueſtrem Cupreſſum appellãt, vulgo cognita eſt, Cupreſſo aſſimilis: aſperis maritimiſq́; locis plerumque naſcitur, eaſdem quas ſupradicta vires habens.*

NISI *quis fortè ad Cedrum minorem alteram, quam Theophraſtus & Plinius Phœniceam vocari, folio ab Oxycedro differre, odoratioremq́; eſſe ſcribunt, vt certè hæc eſt, referre malit.* Cedrus minor Phœnicea.

NONNVLLI *ex Neotericis Sabinæ baccifera nomine appellarũt, cùm tamen à Sabina plurimum differat, cùm odore tum forma: nam Sabinæ grauis odor, hæc Junipero vulgari etiam odoratior: Sabinæ extremi rami in acuta folia plerumque deſinunt, contrà verò hujus obtuſa ſunt. Sabinæ item baccæ (inuenitur enim & baccas gerẽs) maturitate nigreſcunt, minoreſq́; ſunt quàm hujus, quæ, vt ſuprà dixi, phœniceo ſunt colore.* Sabina baccifera.

Sunt qui Oxycedrum folio Sabinæ appellant, Galli, Bellonio teſte, ſerbin, *qua nonnulli magno, inquit, errore pro Sabina vtuntur.*

CÆTERVM *quandoquidem in Juniperi mentionem incidimus, vix vlla toto regno Luſitaniæ conſpicitur. Caſtella verò noua, adeò frequens eſt vulgaris Juniperus, præſertim excelſior & arboreſcens ſupra Segobiam, quà Madritium itur, vt iſtic trabes & contignationes ædium ſibi incolæ fabricent: vt non immeritò Plinius libro 16. cap. 39. dixerit vaſtam hanc in Hiſpania naſci.*

SAPOR atq; odor hujus plantæ manifeſtè oſtendunt, iiſdem virtutibus præditam eſſe, cum alia Iunipero.

De Oxycedro. CAP. XXVIII.

Oxycedrus. *IVNIPERO ferè per omnia ſimilis eſt Oxycedrus: magna ex parte caudice vt illa contorto: interdum etiã in arbuſculam excreſcens tenui cortice & rufeſcente: folia Iuniperi vulgaris, pungentia, ſed longiora aliquãtũ & rariora, terna ſemper circa ramulos ſimul naſcentia vt in Iunipero: fructus initio viridis, deinde flaueſcens, poſtmodum phœnicei coloris, cùm videlicet maturuit, Iuniperi fructu multo major, vt auellanam interdum magnitudine æquet, & tuberculis quibuſdam, veluti ſquammarum rudimentis obſitus, nucleos tres aut quatuor continens inæquales, majores quàm in ſuperiore, medulla intus alba. Floret vti Iuniperus, fructus verò cum illius fructu maturatur.*

Prouenit pleriſq; Hiſpaniæ & Narbonenſis Galliæ ſaxoſis locis. Nuſquam autem majorem vidiſſe memini, quàm ſupra Segobiã & Guadarrama, itinere Madritiano, vbi magnarum arborum interdum altitudinem æquant, trunco humani corporis craſſitie, ex quo, vti & ex trunco Iuniperi, quæ ſimul cum iſto mixtim eadem altitudine creſcit, ædium trabes & contignationes incolæ faciunt.

Viſcũ Oxycedri. *In iſtius ramis etiam menſe Octobri iſtic obſeruaui enatam plantulam digiti longitudine, inſtar Viſci ramoſam, geniculatam, viridem, interdum flaueſcentem, ramulis myricæ recens enatis, ſiue ejus plantæ quã nonnulli Salicorniam, Mompelliani Semperuiuum marinum vocant, ſed paulo minoribus conſtantem, quorũ extremis interdum veluti fructus inhæret Muſci qui*

in

Oxycedrus.



in arboribus aut petris naſcitur, fructui perſimilis; acido & perquam adſtringente guſtu tota plãtula hæc eſt, Oxycedro, veluti viſcum in aliis arboribus innaſcens.

Cedrus Lycia.

THEOPHRASTVS *hunc fruticem* ὀξύκεδρον *appellat, &* κέδρον λυκίαν: *Plinius Oxycedrum & Cedrum Lyciam. Nam quam alij pro Lycia exhibent, meo judicio nihil aliud eſt quàm nouella Iuniperi majoris, ſiue Cedri Phœniceæ planta, quæ baccas proferre non ſolet, donec Tamaricis ſiue Cupreſſi folia cõtraxerit. Hiſpani à Iunipero non diſcernunt, ſed eodem vocabulo Enebro vtrumq; vocant. Narbonenſes Galli* Cade *vocant, & ex ejus baccis oleum exprimunt, quod de* cade, *Hiſpani verò* miera *cognominant, capitis ſcabiei, quam illi* Raſcle *appellant, & pecorum etiam ſcabiei & vlceribus quibus à tonſione interdum infeſtantur, adprime vtile.*


De Myrica. CAP. XXIX.

DVO *Myricæ genera veteres conſtituunt, ſilueſtre & ſatiuum ſiue domeſticum.*

1. Myrica ſilueſtris.

SILVESTRIS *magna ex parte fruticat tantùm: interdum verò in vaſtam adoleſcit arborem: cortice caudicis ſcabro, ramorum verò punicante: folia Cupreſſi, aut Ericæ humilis vulgaris, colore ex viridi ad cinereum tendente: flores extremis ramis in pediculis oblõgis conferti & racematim compacti, exigui, foris purpuraſcentes, expanſi verò candidi, quinq; foliolis conſtantes: qui deinde in ſemen quoddam tomentoſum efformantur, exiguis veluti valuulis concluſum, quibus maturitate dehiſcentibus effluit vt in Salice, Populo & ſimilibus. Ter plerunq; in anno floret, vere, æſtate, autumno: nouis floribus ſemen jam euaneſcens ſemper ſubſequentibus. Hanc Plinius inter eas recenſet quæ nullum*

Myrica ſilueſtris 1



nullum fructum, imò ne ſemen quidem proferunt: cùm tamen Dioſcorides illi fructum tribuat compage muſcoſum.

Naſcitur plerunq; juxta flumina, interdum etiam procul ſatis à fluminibus. Obſeruaui & in Gallia Narbonenſi ſtagnis Volcarum vicinam. Nuſquam tamen ampliorem (vtpote cujus caudicem vix homo amplecti poſſet) vidiſſe memini, quàm ſupra Madritium Regum Hiſpaniæ Regiam, planicie multis hujuſmodi arboribus conſita, non procul à confluentibus fluminum Xarama & Henares ſub Compluto: magnæ tamen iſtæ arbores florem non alium ferunt, neq; diuerſum ab eo qui in fruticantibus duntaxat myricis naſcitur.

Frequens etiam hæc eſt Belgicis hortis. Nuſquam tamen, ſiue in Hiſpania, ſiue in Gallia, perpetua coma virentes vidi: ſed vere nouo ſingulis annis germinare folia ſolent.

2. Iſtius generis aliam ſpeciẽ in Pannonia obſeruaui octauo ab vrbe Vienna miliari craſſo folio. Cujus deſcriptionem Deo volente inter Pannonicas ſtirpes dabimus.

Myrica ſatiua.

S A T I V A M, *quam Dioſcorides mitiorem vocat, & in Ægypto Syriaq; naſci ait, fructu Gallæ proximo, guſtu adſtringente, nunquam vidiſſe memini.*

Galla Myricę. Chermaſel.

Bellonius lib. 2. obſeruat. cap. 25. & 28. in Ægypto ſe vidiſſe ait magnas arbores gallam copioſè ferẽtes quam Arabes moderni chermaſel *vocãt, magni olim in medicina vſus: fructum verò arboris eſſe negat, ſed excrementum quoddam potius eſſe, his verbis affirmat: Tamarices in Ægypto locis humidis, & arenoſis ſiccisq; indifferenter naſcuntur ſiluularum in modum, illo, quod Gallam ſuprà vocaui, excremento adeò onuſtæ, vt parum abſit quin rami onere fatiſcant & rumpantur.*

VOCATV[R]

VOCATVR *autem à Græcis* μυρίκη, *Plinio Myre & Tamarix, officinis Tamariſcus, Hiſpanis* ta-
y, Gallis tamariſque.

FOLIORVM *Tamaricis decoctum ex vino & ace-
lieni indurato prodeſſe, teſtes ſunt veteres medici &
ſa etiam experientia: atq; in eundem vſum potorios
lyces ex ejus ligno tornari, è quibus bibat lienoſi: aliis
ſuper multis morbis vtilem eſſe Tamaricem: majoris
llam cruentis exſcreationibus, & cœliacis in potu
ri, &c.*

De Erica. CAP. XXX.

ERICAM *Dioſcorides lib. 1. Myricæ ſimilem fa-
, longè tamen minorem: libro verò 3. Corin folio Eri-
pinguiore ac minore. Plinius lib. 24. cap. 9. fruticem
idem eſſe ſcribit non multum à Myrice differentem,
l colore Roriſmarini & ferè folio. Ex quorum ſenten-
s colligi poſſe videtur plura eſſe Ericæ genera, vt certè
nt: quemadmodum ex iconibus & earum deſcriptio-
bus ſubjectis videre licet.*

PRIMVM *itaq; genus Ericæ ſimile eſt Myricæ, &* Erica Myricæ folio.
*ptentrionalibus regionibus maximè familiare, locis
cultis, rarò ſupra cubiti altitudinem aſſurgens, ple-
nq; minus, tenuibus ramis, duris, lignoſis, frutico-
m, colore ex rubro nigricante: frequentia habet folia
foliolis quaterno ordine diſpoſitis conſtantia, vti Cu-
eſſus, Myrice, & ſimiles, viridia admodũ, quæ tem-
ris ſucceſſu in ramulos efformantur: flores ſecundum
mulos à medio ad ſummum vſq; propendentes bulla-
quodammodo, quaternis foliolis conſtantes, colore
rpuræ dilutioris elegantiſſimo, interdum etiam, ſed
rò, albo. Bis quidem floret: ſed majore ex parte au-
mno tantùm, licet nonnunquam etiam vere.*

Iſti per omnia ſimilem, ſed paulò elatiorem, & foliis tomentoſis & incanis, flore etiã paulò dilutiore inueni locis incultis ſupra Vindeſoram Regum Angliæ regiam.

Illa verò paſſim in omnibus Septẽtrioni obuerſis regionibus, interdũ etiã, ſed rarius, in calidioribus prouenit.

Ericæ Coris folio.

ALTERVM *Ericæ genus folio eſt à ſuperiore diuerſo: etenim Myricæ folio non reſpondet, ſed Corin & forma foliorum & ſitu admodum æmulatur. Iſtius autem generis multæ ſunt ſpecies, magnitudine, foliorum & florum forma coloreq; inter ſe differentes.*

I. PRIMA, *omnium quas vnquam conſpexi maxima, humanam altitudinem interdum ſuperat, fruticoſa admodum, ligno duro, ex rubro nigricante: foliis exilibus & breuibus, quaterno ordine ramos obſidentibus, guſtu admodum adſtringente, flore copioſo, racematim totos ferè ramulos occupante, vt interdum majores rami pedali longitudine floribus onuſti cõſpiciantur: eſt autem is flos concauus vti exiguum cymbalum oblongus, odoratus, pulcher, albus.*


Naſcitur in Luſitaniæ ſolitudinibus inter Vlyſſipponem & Conimbricam celebrem ejus regni Academiam: inueni etiam citra Tagum decimo ab Vlyſſippone miliari. Floret Nouembri & Decembri.

II. *1.* SECVNDA, *ejuſdẽ ferè altitudinis cum prima, fruticoſa vt illa, tenuioribus ramis, ejuſdem cum ſuperiore coloris, foliis etiam exilibus, quaternis ſemper ſimul ramulos amplectentibus, quorum extremis inſident flores oblongi, ſuperioribus ſimiles, colore purpuraſcentes. Tota etiam adſtrictionis particeps.*

Prouenit iiſdem quibus prima locis, atq; etiam abũdantius, eodem etiam tempore florens.

2. Illi ferè ſimilis eſt, agro Narbonenſi frequens longior

Erica 1.



Erica II.



igiore paulò & copioſiore folio, flore purpureo, mino- extremos ramulos occupante, cujus iconem exhibere detur doctiſs. Matthiolus.

TERTIA *illis admodum ſimilis, ſed paulò humi- r: folia majora & latiuſcula aliquantulum, & ni- iora habet, quaternis ordinibus circum ramulos na- ntia: flores plurimos per interualla ſecundum ramu- um longitudinem naſcentes, ſuperioribus forma ſi- les, primùm herbacei coloris, deinde ex albo purpu- ſcentes. Tota etiam adſtrictoria facultate prædita.* III.


Supra Vlyſſipponem frequens cum ſuperioribus, ribus tamen locis occurrit, & etiam citra Tagum. oret autem Decembri & Januario.

QVARTA *etiam fruticoſa eſt, duorum cubito- m altitudine, nonnunquam amplior, ligno fragili, iis tenuibus, & minutis, vt in Corruda prima ferè, idibus, quæ in ramis nonnihil exſiccatis facilè de- unt: iſtius flos reliquis minor eſt, cauus etiam & co- e herbaceo. Nonnunquam extremis ramulis capitu- ex multis foliis compacta gignit non multum abſi- lia his, quæ in vulgari & duriore Thymo aliquãdo ſpiciuntur.* IIII.

Vulgaris hæc admodum eſt toti Hiſpaniæ, Luſita- e, & Aquitaniæ; namq; ſpatioſis illis ſolitudinibus incultis locis ſupra Burdigalam nullum ferè aliud rgultum conſpicitur. Nota eſt etiam Galliæ Narbo- nſi, ſcopis faciendis maximè idonea. Vere & ſub hye- em floret.

Huic ſimilis, ſed minor omnino, pedalemq; alti- dinem raro ſuperans, & plerunque humi procũbens, liis quaternis etiam ſemper ramulos ambientibus cõ- ariis inter ſe pediculis, inuenitur in montibus Pan- niæ, quæ florem herbaceum alteri ſimilem extremis ramis,

Erica III.



Erica IIII.



ramis, & foliacea illa capitula profert menſe Augu-ſto & Septembri.

V. QVINTA *minor eſt ſuperioribus, cubitali tantùm altitudine plerunque, ramis gracilibus fruticoſa, quos terni per interualla ramuli ambiunt, ternis foliis admodum exilibus circa eos diſpoſito quodam ordine & ſerie naſcentibus: flores ſuperioribus paulò majores plurimi & conferti circum ramulos longis pediculis inhærentes colore purpureo obſoletiore.*

Incultis Luſitaniæ locis ſupra Vlyſſipponẽ frequens. Florebat iſtic Decembri.

VI. SEXTA *ſuperiori admodũ ſimilis eſt, paulò tamẽ humilior, neq; fruticoſa, ſed omnes ferè virgas ſeu tenues ramos à radice proferens ſingulares, cortice cinereo obductos, quos ambiunt ordine ternæ ramulorum rudimenta, ſeu germina ex multis foliis confertim naſcentibus conſtantia, nigrioris quàm alterius coloris: flores concaui, jam poſtremò deſcriptæ floribus forma ſimiles colore ſaturatioris purpuræ elegantiſſimo, è longis pediculis verticillato ambitu per interualla, & è ſummis ramis dependent.*

Naſcentem hanc conſpexi cùm in Caſtella veteri, tum in Gallia ſupra Lutetiam, & in Anglia ſupra Vindeſoram. Floret Septembri.

VII. SEPTIMA *fruticoſa eſt, cubitalibus aſſurgens ramulis, fragilibus, nigriore quàm reliquæ cortice: folia ſuperioribus ſimilia, ſed nigriora & craſſiora, guſtu cu[m] adſtrictione calidiuſculo, trino ordine circa ramulo[s] ſunt diſpoſita. Septembri verò & Octobri fructum [à] reliquis differentem ſummis ramulis inhærentem geri[t] pulcerrimum, candidum, tranſparentem, uniones ob-ſcuriores tum forma tum colore referentem, ſucculen-tum, ſapore acido, tria granula dura plerunque conti-nentem*

Erica v.



Erica VI.



Erica VII.



nentem; qui Nouẽbri exſiccatur, & per ſe decidit. An floreat ignoro: incolæ negabant, & fructum paulatim intumeſcere amplioremq; fieri donec matureſceret affirmabant. Eſt verò hæc longè diuerſa à Matthioli Erica baccifera.

In vna Luſitania hoc genus obſeruaui, non procul Vlyſſippone inter Rio frio & Aldea Galega, & etiam ſupra Vlyſſipponem ſolo admodum arenoſo, copioſo ſuo fructu albo onuſtam: & initio mannæ grana iſti frutici inhærentia exiſtimabam, adeò procul inſpicienti impoſuerunt.

VIII. OCTAVA *cubitali ferè eſt altitudine, fruticoſa etiam, & tenuibus ramulis prædita, qui terni ſemper circum maiores ex interuallis naſcuntur: folia etiam ſimiliter terna naſcuntur, exigua quidem, ſed latiora quàm in reliquis ſuprà deſcriptis, inferiore parte nonnihil candicantia, hirſuta & guſtu adſtringente: ſummi ramuli ad foliorum exortus verticillatim exornantur, per interualla ternis ſemper floribus æquali diſtantia inter ſe naſcentibus, & in vnam partem ſpectantibus, maioribus quàm in reliquis generibus, concauis prominulo magis ventre, colore ex rubro purpuraſcẽte nouem numero, duodecim, quindecim, aut pluribus.*

Inuenitur plerunq; iiſdem cum ſeptima, & aliis are noſis Luſitaniæ locis. Floret Octobri: ſemen huic qua in reliquis ſuperiùs deſcriptis (præterquam ſeptima exiguum nigricans.

IX. NONA, *haud multum ab hac foliorum forma di ferens, pleriſq; Brabantiæ locis, nonnullis etiam Caſte læ veteris, præſertim circa collem vulgò vocatum* penna de Francia, *in quo monaſterium D. Virgini crum, creſcit, pedalibus ſolùm fruticans ramuſculis nuibus, ex rubro nigricantibus, frequentibus eos ci*

gentib

Erica VIII.



gentibus foliis, quaterno ordine diſpoſitis, ſuperiore anguſtioribus, & Thymi vulgaris minoribus, hirſutis tamen & piloſis: ſummis ramulis dependent plerunque quini aut ſeni flores ſimul iuncti, Lilij conuallium floribus ſimiles, oblongiores tamen paulò, neq; adeò vti ſuperioris ventrioſi, colore vt plurimum ex rubro dilutius purpuraſcente: interdum etiam albo. Floret vere & autumno.

Ἐρείκη *Græcis, Erica & Erice Latinis, Gallis communi vocabulo* bruyere, *Belgis* heyden.

Primũ verò genus quod folio Tamaricis eſt, Hiſpani quirihuëla, *Luſitani* queiro *appellant.*

Alterius generis primam Luſitani atorga *vocant: quartam* vrs *&* vrgueira; *Hiſpani* breço: *ſeptimam Amatus Luſitanus ſuis in Dioſcoridem commentariis* Açacalis. *Acacalim eſſe exiſtimat, cuius Dioſcorides ſtatim poſt Ericam meminit: Luſitani vulgò* camarinhera, *fructum verò* camarinhas *dicunt: octauam* lemerinha.

FOLIORVM *Ericæ ſuccus oculorum imbecillitatem ſanat, ſi oculis inſtilletur. Memini, dum Mompelij agerem, clariſs. virum D. Gulielmum Rondeletium, Regium tum profeſſorem, magno ſucceſſu vſum fuiſſe oleo ex Ericæ floribus confecto ad tollendos herpetes fœdos & iam inueteratos totam faciem occupantes*

Luſitani ſeptimæ fructum, qui venalis Septembr & Octobri Vlyſſippone inuenitur, febrientibus exhibent, ad ſitim qua perpetuò premuntur reſtinguendam quidè etiam idem fructus à pueris & mulierculis expetitur.

Si Acacalis eſt, aquam in qua maduerit eius fructus, ad collyria quæ ad excitandam oculorum aciem conueniunt, addi, teſtis eſt Dioſcorides.

D

De Sedo. CAP. XXXI.

CVM pleraq; Sedi genera ab aliis expreſſa ſint, & ... eſcripta, de duobus hîc ſolùm agam mihi per Hiſpa-... iam & Luſitaniam obſeruatis.

PRIMVM frutex eſt potius quàm herba, duorum ... ubitorum nonnũquam altitudine, brachiali verò craſ-... tudine, multos ferens ramos pollicari craſſitie, in mul-... s alas ſeſe expandentes digitalis craſſitudinis, quarum ... mmitates veluti in orbem deſinunt, è multis foliis cõ-... rtim & inuicem imminentibus conſtantem vt in Se-... o vulgari maiore: carnoſa ſunt autem & ſucci plena ea ... lia, & linguæ modo efformata, per ambitum leuiter ... eluti ſerrata, guſtu nonnihil adſtringente: cortice den-... , carnoſo, & ſucculento totus frutex amictus eſt, ſu-... eriore membrana nigreſcente, & maculis reſperſa, vt ... Tithymalo characia, quæ nihil aliud ſunt quàm fo-... orum quæ deciderunt veſtigia. Interdum ſummis ra-... is maioribus exilit pediculus quidam craſſus, folioſus, ... ui veluti thyrſum gerit multorum florum luteorum ... ellarum modo diuiſorum eleganti ſpectaculo: Iam ma-... ureſcere incipiẽtibus floribus, & ad ſeminis (quod exi-... uum eſt) efformationem properantibus, gracileſcit hic ... ediculus. Semper autem hæc planta viret. Sedum primum.

Conſpectus eſt primùm hic frutex in Royuẽlos Luſi-... aniæ oppido dum Madritio Vlyſſipponem proficiſce-... r; deinde Vlyſſippone & vicinis locis frequentiſſimum ... ædium tectis & muris: ſpontè item naſcentem præru-... to & ſcopuloſo colle non procul à Cyntri arce regia, ... uinto ab Vlyſſippone miliari. Poſtmodum Hiſpali in ... ctilibus. Apud nos etiam, Luſitania vſq; à me miſ-... um aluerunt aliquot annis rei herbariæ ſtudioſi: ſed ... ndem hyemis inclementia omnino, vt exiſtimo,

 periit.

periit. Floret iſtic Decẽbri & Ianuario: apud nos verò nunquam florere conſpectus eſt.

LEGITIMVM *autem id eſt Sedum aut Semperuiuum maius, Dioſcoridi* ἀείζωον τὸ μέγα *Græcè dictũ. Nam quod hactenus pro Sedo maiore habuerunt, nihil aliud eſt, quàm Cotyledon altera Dioſcoridis. Luſitani* enſayon, *Hiſpani* yerua puntera *vti vulgare.*

Sedum minimum frigidum.

ALTERVM *Sedi genus in rupibus, veteribusq́; muris naſcens cùm in Hiſpania, tum Luſitania, & Gallia Narbonenſi, ſimile ferè eſt Semperuiuo tertio Dioſcoridis: ſed folia paulò craſſiora ſunt, candidiora & teneriora, nec vt illa feruentis guſtus, ſed viribus ſecundo Semperuiuo reſpondentia & frigida: flos item eius candidus, qui in tertio Dioſcoridis luteus, ſemen exiguum ſubruffum. Floret Iunio, ſemen Iulio matureſcit.*

PRIORIS *foliis Luſitanicæ mulieres detergendis dentibus, & capillis repurgandis vtuntur. Veteres eis ad eryſipelata, herpetes, & phlegmonas vſi ſunt, & alia pleraq́;. Secundum ad eadem vſurpari poſſe exiſtimo.*

De Frutice

Sedum maius.



De Frutice Coronario.

CAP. XXXII.

Syringa vulgaris.


ADMODVM *elegans eſt hic frutex, multis ab eadem radice longis virgis præditus, rectis, cortice cinereo tectis, digitali aut ampliore craſſitie, (quæ tandem etiã in brachij interdum craſſitiem adoleſcunt) nodoſis & quodammodo geniculatis, multam medullam in ſe continentibus: hæ demum in multos ramos ſparguntur tenellos, virides, quos ex interuallis bina ſemper ſimul folia contrario pediculorum exortu naſcentia exornant, laurinis maiora, oblonga, per extremum mucronata, viridia, verùm molliora, in ambitu crenata, ſapore primùm amariuſculo, deinde acri: flores extremis ramulis terni, quini, ſepteni aut plures, bini ſemper inter ſe oppoſiti, vno qui imparitatem facit, extremam ramulorum cuſpidem occupante: conſtant verò ij ex quatuor foliis mucronatis, albis, multis fibris pallidis mediam floris cauitatem & vmbilicum occupantibus, odor illis cum grauitate quadam ſuauis, qualis malorum aureorum, ſiue citriorum: floribus ſuccedunt capitula quædam primùm viridia, ex multis veluti valuulis compacta, deinde per maturitatem nigricantia, quibus dehiſcentibus, ſemẽ oblongum & tenue excidit, quod plerunque nouellas plantas ſequente anno procreat. Flore Iunio, ſemen Auguſto matureſcit.*

Nuſquam ſpontè naſcentem hunc fruticem vidi ſed primùm in hortis Belgicis conſpectus eſt, neſcio vnde delatus: poſteà etiam in Hiſpaniis vnus aut alter e Belgio eò deuectus. Nunc autem pauci ſunt cùm i Belgio, tum in Germania horti, in quibus hic frute non alatur, ob odoris ſuauitatem, & elegantiam.

AN *veteribus fuerit cognitus hic frutex, néc*

nondu

Syringa flore albo.



nondum ſtatuere poſſumus: paſſim verò ab herbariis &

Frutex coronarius. *Frutex coronarius, quoniam eius flos odoratus in coronas interdum addatur, & Syringa appellatur, à virgarum ni fallor rectitudine, longitudineq́, & fungoſæ interioris medullæ copia.*

NVLLVM *adhuc in medicina vſum obtinere puto: ſed interdum apud nos nobiles matronæ, mutatis ſæpè huius fruticis floribus, in vmbra chirothecas elegantiſſimo odore imbuunt.*

Syringa flore cæruleo. EST *alius quidam frutex, quem noſtrates etiam Syringam appellant, à ſuperiore tamẽ diſſimilis. Nam quamuis ab eadem radice multas virgas edat rectas & nodoſas; multò tamen breuiores ſunt, & magis æmulari videntur fraxini tenellas virgas, quàm Syringæ ſuperioris imitari. rarioribus hic fruticat ramis: bina ad ſingulos nodos contrario inter ſe ſitu naſcuntur folia, latiora quàm in præcedente, & longiore pediculo pendentia, craſſiora, duriora, atriora, & ad populi nigræ ſiu potius hederæ foliorum formam accedentia, ſummis ramis oblongos quaſi racemos fert, ex quibus multi flore dependent minores ſuperiore, colore cæruleo obſoletiore odorati quidem, minus tamen quàm albæ: his ſuccedi fructus longiuſculus, duabus veluti membraneis va nulis conſtans, quo bina oblonga & compreſſa ſemin continenter colore ex atro ruſeſcente.*

Alitur etiam apud nos in hortis, floretq́ cum ali interdum etiam maturius.

Lilac. LILAC *nomine hunc fruticem exhibere videt doctiſſ. Matthiolus, & Glandem vnguentarian exiſtimare: verùm hujus fructus multum à piſtac differt.*

Bellonius etiam huius meminiſſe videtur libro cap. 50. Nam poſtquã Turcos dixit nullis ſumptib

parce

arcere, atque ſummam adhibere diligentiam, vt eregrinas arbuſculas quæ elegantem florem proferant anciſcantur, addit: Vidimus iſtic arbuſculam foliis ederæ, ſemper virentem, quæ flores cubiti ferè longitu-ine profert, colore ad violaceum tendente, pediculum nim oblongum ex quo dependent, tam numeroſi & nferti ambiunt, vt vulpinam caudam craſſitudine quent; ideoq; à Turcis vernacula lingua Caudam ulpinam appellari. Cauda vulpina.

Verùm noſtra Syringa cærulea perpetuò non viret, t ille Vulpinam caudam aſſerit, ſed foliis eſt deciduis, uemadmodum ſuperior.

De Myrto. CAP. XXXIII.

CATO *tria Myrti genera tradit, nigram, albam, & conjugulam. Plinius libro 15. cap. 29. ſuo tempore liter diſtincta fuiſſe Myrti genera refert, videlicet in itiuam atq; ſilueſtrem, & in vtroq; genere latifoliam iueniri. Satiuarum deinde genera topiarios facere, Tarentinam folio minuto, Romanam patulo, Exoticã enſiſſimo, ſenis foliorum verſibus: eam verò non eſſe in ſu: ramoſam vtramq; aliam; Conjugulam ſe exiſti-nare, quæ ſuo tempore Romana nuncuparetur.*

Ego verò cùm in Hiſpaniis, tum aliis locis, multo lura genera obſeruaſſe memini.

. VNVM, *ramis ſatis craſſis, foliis duplici ſerie ra-iùs diſpoſitis, magnis, vt interdum ad Lauri tenui-oliæ aut Arbuti foliorum amplitudinem ferè accedãt, olore dilutius paulò virente, odoratis: rarius hòc floret ut fructum fert, quòd eo ſepibus texendis, quas tonde-e ſolent, plerunq; vtantur.* Myrtus Bætica latifolia domeſtica.

Nuſquam id genus vidi, niſi in monaſterio quodam Hiſpali,

Hiſpali, & in lætiſſimis Mauritanorum Granatæ viridariis ſecundum piſcinas & lacus, omnibus ſepibus ex illo Myrti genere conſtantibus: & ex alio quodam,
2. *non multum huic diſſimili, minoribus tamen foliis, & paulò denſioribus, cuius nos hîc picturam damus.*

Myrtus Bætica, exotica, latifolia.

SECVNDVM *genus altè fruticat, & à radice plurimos denſos, craſſos, firmosq́ ramos promit; folia ſuperiori ſecundæ ſpeciei ſimilia, ſed adeò confertim naſcentia, vt mutuo ferè ſeſe contingant pediculi: interdum duplici tantùm ſerie, ſæpenumerò triplici, admodum odorata: flos eius candidus, quinq́ foliis conſtans, ceraſiorum floribus ferè ſimilis, villis cãdidis plenus, odoratus, cui fructus ſuccedit paulò oblongior quàm in Tarentina, primùm viridis, deinde cùm maтureſcere incipit, purpuraſcens, tandem vbi plenã maturitatem adeptus eſt, niger, vinoſus, ſapore grato, grana candida reflexa in ſe continens.*

Hoc genus primò cõſpexi in Complutenſis arcis horto, multis fruticibus ſerie quadam & ordine diſpoſitis, elegantiſſimo ſpectaculo, cùm ſemper vireat: vidi deinde Cordubæ in quibuſdam hortis.

Myrtus Bætica exotica anguſtifolia.

TERTII *generis vnicam arborem vidiſſe memini in Hieronymitarum monaſterio, primo ab vrbe Corduba miliari, eadem foliorum denſitate & ſerie qua ſecundum genus, verùm folio minore & ſaturatius virente: fructu etiam maiore & rotundiore, qui vti reliquorum Myrtorum fructus alba grana & inflexa fert minora tamen quàm ſuperioris.*

Myrtus Bætica ſilueſtris.

QVARTVM *genus non adeò densè fruticat, neq admodum aſſurgit, ramis tenuibus & fragilibus, foli eiuſdem cum tertio magnitudinis, ſimiliter mucrona tis, duplici ſerie rarius circa ramos naſcentibus, nigri cantibus, odoratis: flos aliis ſimilis: fructus rotundu oblong*

Myrtus Bætica latifolia domeſtica 2.



Myrtus Bætica ſilueſtris.



oblongis pediculis ex foliorum alis prodeuntibus inhærens, copioſus, primùm viridis, deinde candicans, per maturitatem verò niger, vinoſus, grati admodum cum adſtrictione quadam ſaporis.

Spontè prouenit pleriſq; agris & collibus Extremaduræ (quæ Bæticæ pars eſt ad Anam flumen ſita) & Luſitaniæ, adeò copiosè, vt per aliquot miliaria nulli ferè alij frutices conſpiciantur. Octobri interdum florentem, ſed maxima ex parte fructu onuſtam hanc Myrtum collegi cùm Madritio Vlyſſipponem proficiſcerer locis incultis, & procul à mari, procul à fluminibus diſſitis, nūc lætioribus, viridioribuſq; & amplioribus foliis, nunc planè exſuccis & ferè rigentibus & colore palleſcente, pro locorum natura & ſitu: nam quæ in conuallibus naſcebatur, multò ſemper lætior & viridior conſpiciebatur.

1. QVINTVM genus ſatis altè fruticat ramorum tenellorum & rubentium denſitate; foliis omnium minimis, anguſtioribus, & magis mucronatis quàm in reliquis generibus, ſaturatè virentibus, odore fragranti: flos reliquis ſimilis, tum etiam fructus, qui primùm viret, deinde per maturitatem albus eſt, nunquam nigreſcens. Myrtus domeſtica fructu albo.

2. Huius generis inuenitur alia ſpecies, per omnia tenerior, folio exiliore & anguſtiore, alioqui alteri ſimilis.

Primùm mihi vtraq; hæc Myrtus conſpecta eſt in hortulo illuſtris viri Dn. Ferdinandi Cotinho Luſitani, rerum peregrinarum & exoticarum ſtudioſiſſimi, & multis longinquis peregrinationibus clari: cuius hortuli ſepes ex hoc Myrti genere conſitæ erant. Iſtic Muſam naſcentem & aliquot alias peregrinas ſtirpes vidi. Eſt verò is hortus in editiore vrbis parte extra

mœnia, apud quem veteres aliquot inſcriptiones marmoribus inſculptas videre licet.

Conſpiciũtur omnia iſta Myrti genera (præter primi generis primam ſpeciem) apud clariſs. V. Dn. Joannem Boiſot, rei herbariæ ſtudioſiſſimum, qui primus iſta ex ſeminibus aluit, deinde apud pleroſq; alios quibus communicauit: rami enim in terram depacti radices agunt, ſed quintum genus omnium facillimè comprehendit.

Myrti claſſis altera.

NVNC *verò apud eundem, & apud illuſtres viros Ioannem de Brancion, & Joannem Dilfum, nobilesq; matronas, Mariam de Brimeu Conradi Scheti, Margaretam de Clermes Præſidis Namurcenſis, vxores, aliosq; quamplurimos in Belgio rei herbariæ ſtudioſos, aluntur & aliquot alia Myrti genera ab his quæ deſcripſi diuerſa. Quorum alia lato ſunt admodum folio, nonnulla mediocri, quædam minore.*

Myrtus latifolia.

1. LATIFOLIA *alia viridi & admodum amplo eſt folio, quod tamen primi generis iam deſcripti magnitudinem non æquat, rariore ordine, & eo duplici circa ramos diſpoſito.*

2. *Alia paulò minor eſt, nunc vegetiore viridioreq; folio, nunc pallidiore & triſtiore.*

3. *Tertia denſiore eſt folio & magis mucronato, eodemq; modo vegetiore & lætiore, modò etiã pallidiore.*

Myrtus media.

QVÆ *medio eſt folio, non multum abſimilis eſt quarto generi à me deſcripto, ſed virgultis minus nigricantibus, & quodammodo palleſcentibus, fructu etiam longiore.*

Myrtus Tarentina.

MINORE *quæ eſt folio, omnium frequentiſſima in Septentrionalibus regionibus, confertis admodum foliis, & interdum duobus foliorum verſibus, nonnunquam ternis: quemadmodum aliquando in aliis generibus etiam accidit.*

Florent

Florent plerunque iſtic autumno, fructus rariſſimè ad maturitatem peruenit.

DICITVR *autem Græcis hic frutex* μυρσίνη, *Latinis Myrtus, Hiſpanis* arayhan, *Gallis* myrte.

Primum, ſecũdum, & tertium genus in prima claſſe deſcriptum Hiſpani arayhan moriſco, *hoc eſt Mauritanicam myrtum vocant. Latinis poterit eſſe Exotica, tametſi ad ſummum ternis foliorum verſibus diſtinctam viderim myrtum, cùm Plinius ſenos verſus ſuæ exoticæ tribuat.*

Quartum genus Hiſpani ſimpliciter arayhan & myrta *vocant, eam ſilueſtrem iudico, quoniam ſpontè locis incultis proueniat. Sed* ὀξυμυρσίνη *ab hac planè ſegreganda eſt, ſui generis inter ſilueſtres propria.* ὀξυμυρσίνη.

Quintum genus Candida myrtus appellari poterit. Et omnes iſtæ Myrti, præter quartam, hortenſes.

Latifoliam Belgicam, dici poſſe exiſtimo Romanam, quam Plinius eandem cum Conjugula Catonis eſſe putat. Hortenſis Belgica minutiore folio & denſiore, ad Tarentinam meo iudicio referenda eſt. Niſi quis potius ita cenſeat, candidam minutiſſimo omnium folio, Tarentinam vocandam eſſe. Nam cùm Cato tãtùm nigræ, albæ, & conjugulæ meminerit; jam verò cõiugula Plinio ſit Romana, nigra ex fructu ſatis nota: reſtat candida, quæ ad nullum Plinio deſcriptum genus referri poſſit, quàm ad Tarentinam.

PORRO *Myrti folia viridia tum ſicca, & baccæ, tum foris impoſita, tum intro ſumpta in corpus, reſtringendi vim habent.*

Bellonius lib. 1. obſeruationum cap. 52. refert Illyricos myrti foliis ſua coria denſare, quemadmodum Macedones Rhoë, Ægyptios Siliquis Acaciæ, Aſiæ minoris incolas glandium Eſculi calycibus, Gallos Quercus libro, Phrygios corticibus Pini ſilueſtris.

De Ciſto mare. CAP. XXXIIII.

CISTI *duo prima (vt Plinianis vtar verbis) genera Dioſcorides facit, marem, & feminam; deinde tertium addit Ledon dictum.*

Nos, eius veſtigiis inſiſtentes, tria etiam ſumma genera conſtituemus: deinde ſingula in eas ſpecies quas obſeruauimus, diuidemus, initium à Mare facturi.

Ciſtus mas. MAREM *Ciſtum appello, qui flore quidem, vt reliqua Ciſti genera ſilueſtrem roſam æmulatur, ſed colorem rubrum nunc ſaturatiorem nunc dilutiorem habet: cuius quinque ſpecies inter ſe foliorum forma aut colore differentes obſeruaui.*

1\. PRIMVS, *cuius hîc iconem cum ſua hypociſtide exhibeo, humana altitudine plerunq; fruticat, ligno ſatis fragili, & cortice candicante tecto: frequentibus ramis alternatim ſemper ex aduerſo reſpondentibus: eandem etiam ſeriem ſeruantibus foliis, quæ omnino ſunt incana, molliora & longiora in nouellis plantis, in adultis verò contractiora, duriora, & aſpera Saluiæ foliorum modo, mucronata, guſtu adſtringẽte: flos ejus Cynorhodi aut ſilueſtris roſæ magnitudine, quinq; foliis conſtans, colore rubro dilutiore ſeu incarnato vt vocant, multis ſtaminibus croceis medium florem vt in Roſa ſimplici occupantibus: flori ſuccedũt capitula quædam pentagona, dura, hirſuta, & incana, mucronata in quibus eſt ſemen exiguum ex rufo nigricans, ſemini Hyoſcyami aut Papaueris magnitudine.*

Hypociſtis rubra. *Ad huius radices, quæ ſummis ceſpitibus nitũtur copiosè naſcitur elegantiſſima omnium, quas vnquan viderim, Hypociſtis, primo vere, cùm Ciſtus iam a florendum ſe parat: etenim quando primùm ex terr emergit, purpureum ſiue kermeſinum ſericum eſſe dice res: deinde paulatim aſſurgens, & ſeſe explicans, mult*

c

Ciſtus mas 1.



de priſtini coloris elegantia remittit, cùm cytinos ſuos profert qui candicantes ſunt, turgidiq; & lento ſucco pleni: qui à peritis pharmacopœis in Hypociſtidis ſuccum denſatur.

Frequens eſt hic Ciſtus, cùm in Hiſpania, præſertim Bætica, tum in Luſitania & Gallia Narbonenſi.

II. SECVNDVS eadē altitudine qua ſuperior aſſurgit, interdum etiam maiore, non minus fruticoſo ſtipite, neq; minore ramorum frequentia: minus tamen candicat: folia præterea eodem ordine diſpoſita, molliora, longiora, anguſtiora, & magis acuminata ſunt: flos ſuperiori ſimilis, incarnatus: capitulis & ſemine etiam parum differt.

Naſcitur etiam hic in Hiſpania, & diutius reliquis maris generibus floret: illius item ramuli teneriores ſub autumnum, rorulentum quiddam pingue & odorum contrahunt.

Non dubium eſt, quin etiam Hypociſtis ſub hoc creſcat, nullam tamen, vt neque ſub tribus ſequentibus, obſeruaui.


III. TERTIVS ſuperioribus breuior eſt, non minus tamen fruticoſus, ſed tenuioribus ramis: folia eius ſuperiore breuiora, & dilutiore virore prædita, magis rugoſa, pinguia, & odorata: flos aliis ſimilis, dilutè rubens, & aliquantulum odoratus, quam notam in reliquis Ciſti maris generibus non deprehendi: hujus capitula ſuperioribus paulò minora ſunt, & ſuis inuolucris (quæ florum calyces ſunt) diutius occultantur, ſemen in capitulis æquale.

Ego hunc in Luſitania ſolùm ſponte naſcentem obſeruaui, ſupra Vlyſſipponem itinere Conimbricenſi, atque etiam in maritimis.

IIII. QVARTVS humana altitudine plerunque attollitur, vt reliqui fruticoſus: ramulis aliquantulum in-

canis:

Ciſtus mas II.



7 5

canis: folia reliquis maiora & quaſi orbiculata, hirſuta nonnihil & rugoſa: flos reliquis forma ſimilis, paulò maior & colore ſaturatius rubente: capitula hirſuta, dura, pentagona, ſuperioribus maiora, in quibus ſemen rufum, maius quàm aliorum continetur.

Inuenitur regno Valentino & Aragonum, audio etiam in Italia frequentem eſſe.

V. QVINTVS *humilis eſt, & ſupinus vt plurimũ, pedalibus ramis aut paulò amplioribus, multis ex eadem radice prodeuntibus, folia criſpa ſunt & quodammodo ſinuoſa, candicantia & hirſuta, guſtu acerbo & adſtringente: flores ramulorum ſummitatibus æquali altitudine & quaſi vmbellatim naſcuntur, ſuperioribus paulò minores, ſed eleganti & purpureo colore: capitula reliquis minora, ſuis inuolucris plerunque contecta, ſemen continent reliquis ſimile, ſed atrius.*

Hunc in Luſitania tantùm naſcentem vidi ſolo admodum arenoſo: ſed nuſquam abundãtius, quàm apud monaſterium Pera longa dictum, quinto ſupra Vlyſſipponem miliari, ſemine maturo onuſtum, in nonnullis plantis flore mihi etiam Nouembri conſpecto. Semen in Belgium reuerſus aliquot amicis communicaui: ſed nemini germinauit, quàm vni Petro Coudebergo pharmacopœo & doctiſſimo & rei herbariæ ſcientiſſimo, quẽ tamen illi ſubſequens hyems ſatis rigida abſtulit.

Reliqua genera omnibus rei herbariæ ſtudioſis qui in Belgio viuunt ſatis nota, cùm omnes ferè ea in ſuis hortis alant, aut aliquando aluerint.

Florent verò omnes iſti Ciſti Aprili, aliquando etiam maturius; nonnunquam ſerius, pro regionum & locorum natura & temperamento: ſemen Auguſto, Septembri & Octobri matureſcit.

MAS *Hiſpanis vocatur* eſtepa: *quintum genus peculiariter Luſitanis* roſella *dicitur.*

Ciſtus mas V.



De Ciſto femina.

CAP. XXXV.

Ciſti feminæ varietas.

CISTVM *feminam etiam in ſuas ſpecies diſtri-
buemus. Nam aut elatior eſt, & rectis virgis fruticā
ſicuti mas, aut ſupinus & humi ſe diffundens vt Eric
vulgaris folio Myricæ.*

*Denique vtrumque genus colorem in flore variat
etenim vel candidus eſt maxima ex parte, vel luteu
ſeu ochræ colore.*

Ciſtus femina.

EST *igitur Ciſtus femina frutex ramoſus cubitum
interdum altus, nonnunquam humi ſtratus, gracilibu
ramis, nigricantibus, folio non minore quàm in mari
quarto genere, circinatæ ferè rotunditatis, rudi & aſpe
ro, viridi tamen, ſapore, vt maris, adſtringēte & acer
bo: flos paulò minor quàm in mare, quinti generis flor
ferè ſimilis, albus, nonnunquam, quemadmodum jam
dixi, etiam luteus, fibris luteis, vt in roſa ſilueſtri, me
dium florem obtinentibus: capitula minora & nigrior
quàm in mare, non acuminata, ſed compreſſa nonnih
ſuperiore parte, ſemen paulò nigrius & ſatis magnum
continentia.*

*Eius qui albo eſt flore, cùm recti, tum ſupini magn
eſt copia in Hiſpaniis, Luſitania, Gallia Narbonenſ
& Aquitanica. Qui verò luteum profert, nonnull
duntaxat Hiſpaniæ locis, & extrema Aquitania Ca
tabris finitima circa Bayonam vidiſſe memini.*

Hiſpani Ciſtum feminam vulgò xara-eſtepa *vocā
nomine ex mare & Ledo compoſito. Narbonenſes m
tempore* mouges *vernacula lingua dicebant.*

CISTVS *autem Græcè dicitur* κίστος, κίσθαρον
κίσσαρον.

Theophraſti locus ſuſpectus.

PORRO, *quam multis annis habui opinionem, h
diſſimulare non poſſum. Ea eſt: Theophraſti exempl
lib.*

Ciſtus femina.



lib.6. cap.2. initio multis iam ſæculis mendoſum fuiſſe, & κίσε pro κισσοῦ legendum eſſe, errore à librariis facilè admiſſo ob vocabulorum affinitatem.

Nam cùm Theophraſtus de arboribus agens lib.3 hiſtoriæ Plantarum, capite vltimo, adeò diligenter Hederam in ſumma genera, humi repentem & in ex-celſum ſe attollentem; hanc denuò in tria genera, can-didam, nigram, & helicen; & tertiò, ſingula genera in ſuas ſpecies diſtribuerit: Cur lib.6.cap.2. quaſi ſui obli-tus, inter ſuffrutices Hederæ denuò meminit, eiusq duo duntaxat genera facit, vtriq; florem roſæ ſilueſtri tribuens? cuius obſecro quænam eſt ſimilitudo cum He-deræ flore omnibus notiſſimo?

Plini⁹ Theo-phraſti mé-doſum exé-plar ſecutus.

Certè ſic ego exiſtimo, mẽdoſum Theophraſti exem-plar in cauſa fuiſſe, cur Plinius de Hedera acturus li-bro 16.cap.34. (vt plerunq; facere ſolet) capitis ſecun-di initium ex Theophraſti lib.6. ad verbũ mutuatu ſit, deinde reliquam Hederæ hiſtoriam ex eiuſdem li-bro 3. perſecutus ſit.

Sic autem habet Theophraſtus: καὶ γὰρ κισσοῦ δύο γέ διαιροῦσι· τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ. περὶ τὸ μὲν μεῖζον καὶ σκλη ρότερον καὶ λιπαρότερον ἔχειν καὶ τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζον· ἀμφ δὲ ὅμοια τοῖς ἀγρίοις, πλὴν ἐλάττω καὶ ἄοσμα.

Plinius autem, Hederæ duo genera: prima, inqui mas & femina. maior traditur mas corpore, & folio di riore ac pinguiore, & flore ad purpuram accedent Vtriuſq; autem flos ſimilis eſt roſæ ſilueſtri, niſi qu careat odore.

Item lib.21. cap. 9. de coronis agens: Vtuntur è rulis & corymbis & hederæ flore purpureo. Eſt & alio genere earum ſilueſtribus roſis ſimilis. Et in iis qu que colos tantùm delectat, odor autem abeſt.

CÆTERVM *Ciſti folia & parua germina tr*

ac

cò deſiccant, atq; adſtringunt, vt vlcera glutinare
leant: flores autem efficaciores ſunt, ſic vt cum vino
i dyſenterias, ventris imbecillitates, fluxuſq; & hu-
ditates perſanent: nomas per ſe illiti cohibent, vetu-
s vlceribus, & igni ambuſtis cum cerato medentur.

Hypocistis verò, quæ Græcis ὑποκιστὶς dicitur,
à nonnullis ῥόβιθρον ἢ κύτινος cognominatur teſte
ioſcoride, Plinio etiam Orobathion, ſiccat & ſpiſ-
; & rufa magis ſtomachi rheumatiſmos emendat:
a tribus obolis, ſanguinis exſcreationes, cum amylo
enterias pota & infuſa.


Sed & aliquot alia Ciſti genera per Hiſpanias & Ciſti feminæ 2. claſſis.
ſitaniam obſeruaui, quæ ad feminam veluti ad pri-
rium genus meo iudicio referenda videntur potius,
àm ad marem, aut Ledon: quandoquidem nullo pin-
i lentore ſint prædita, neq; florem roſeum ſiue purpu-
m habeant. Niſi fortè quis eam ſpeciem quæ Thy-
folijs eſt, inter Ledi genera recenſere malit.

Cistvs folio Halimi prior (ſic etenim appellan- Ciſtus folio Halimi 1.
s videtur propter foliorum ſimilitudinem) cubitales,
amplıores profert ramos, graciles, ſatis fruticoſos,
quibus folia Portulacæ marinæ ſimilia, ſed omnino
ana vt Halimi, mucrone obtuſiore, ſubacido & ad-
ngente guſtu: ſummi rami multos proferunt flores
nq; folijs conſtantes, colore luteo cum ſuis in medio
is, minores quã in ſuperioribus, ei Ciſti generi quod
nulli Helyanthemon vocant ſimiles: ſemen deinde
apitulis oblongiuſculis & triangulis exiguum, &
rufum.


Ad huius radices Hypociſtin naſcentem obſeruaui Hypociſtis lutea.
eam omnino, ſiue ochræ colore, plantæ ipſius florem
re referentem, quam pueri & paſtores mandunt.

Cistvs folio Halimi alter, procerior eſt priore, Ciſtus folio Halimi II.
ramis

Ciſtus folio Halimi 1.



Ciſtus folio Halimi II.



K

ramis firmioribus, incanis vt prior: folia ſuperiore paulò longiora, anguſtiora, & magis mucronata, dorſo elatiore, incana tamen tota & ſicca, guſtu etiam ſubacido & adſtringente. Florem, neq; ſemen vidi.

Vterq; frequens eſt in Luſitania ſolo arenoſo, & aura marina afflato, inter Ericas, nõ procul Vlyſſippone, nuſquam alibi mihi conſpectus.

Ciſtus folio Lauendulæ. CISTVS *folio Lauendulæ plerunq; cubitali eſt altitudine, admodum ramoſus, ſed breuibus ramis, & foliis confertim naſcentibus, anguſtis, incanis, ſapore adſtringente: flores parui, non multum à ſuperiore differentes, albo colore: ſemen non obſeruaui.*

EST *hic frutex adeò Lauendulæ ſimilis, vt niſi odor & ſapor prohiberent, pro Lauendula ſumi poſſit: & certè quas plantas ſine flore primùm conſpexi, pro Lauendula habui, ideoq; negligebam, donec floribus quos in plantis aliis conſpiciebam admonitus, diligentiùs obſeruarem.*

Hunc ego ſolummodo Valentino regno inueni aridis & petroſis locis quarto à Valẽtia miliari, Aprilis initio.

Ciſtus folio Sampſuci. CISTVS *folio Sampſuci, planta fruticoſa eſt, multos tenues ramulos proferens: folia in his parua, quaſi rotunda, incana, Sampſuco ſimilia, minora paulò, & dorſo eminente, cum quadam aciditate & ſalſedine adſtringentia: flos in ſummis ramis copioſus, candidus, villis & ſtaminibus luteis, vt in reliquis Ciſti generibus medium florem obtinentibus, quinis foliis conſtans, quorum medium macula ex purpura nigricãs occupat: capitula exigua lini ferè, trigona, in quibus ſemen minutum Hyoſcyami, ex nigro candicans ſiue cinereum continetur: totus ille oblongus ramulus qui florem & fructum ſuſtinuit, areſcit eo maturo, vt in ſingulis Ciſti generibus.*

Primùm

Ciſtus folio Lauendulæ.



Ciſtus folio Sampſuci.



Primùm hunc inueni in Caſtella veteri, ſupra S. Martin del Caſtañal: deinde copioſum in Caſtella [n]*oua, circa Caraiçejo, & toto Bætico agro inter Tagum* [&] *Anam flumina.*

Hiſpani Quiruëla *aut* quiriuëla *appellant, com*[m]*uni ferè cum Ericæ minoris vocabulo, quoniam fortè* [in]*ter Ericas recenſeant.*

CISTVS *folio Thymi, pedali fruticat altitudine,* [ra]*mulis ex purpura nigricantibus, duris, lignoſis, quæ* [m]*agna ex parte ſine foliis conſpiciuntur, præter quam* [ci]*rca ſummitates, in quibus confertim naſcuntur exilia* [a]*lmodum, viridia, Thymi æmula, guſtu adſtringente:* [flo]*rem ſummis ramis ſuperiori ſimilem, minorem, neq;* [m]*aculis inſignitum fert: ſemen non obſeruaui.* Ciſtus folio Thymi.

Hic mihi ſolùm conſpectus eſt extrema Bæticæ par[te]*, qua Caſtellam & Luſitaniam ſpectat: poteſt tamen* [&] *aliis locis naſci.*

SVPERIORIBVS *haud dubiè coniungendæ ſunt* [et]*iam quas hîc ſubyciam, cùm & forma & ſapor re*[ſp]*ondeant.* Ciſti feminæ 3. claſſis.

PRIOR *exigua eſt plāta, tenuibus virgulis ligno*[ſis]*, & humi ſparſis prædita: foliis Helyanthemo vulgo* [di]*cto ſimilibus, minoribus tamen, omnino candicanti*[b]*us, adſtringentibus: flores extremis ramis inſident,* [q]*uinq; foliis conſtantes, & ſtaminibus in medio, vt in* [H]*elyanthemo, colore nunc albo, nunc pallido: ſemen in* [ca]*pitulis triangulis Lini, exiguum, rufum. Radix* [li]*gnoſa & fibroſa.* Ciſtus humilis I.

ALTER *à priore non differt tum magnitudine, tum* [r]*amulorum exilitate: flores item & ſemen ſimilia: ſed* [fo]*lia omnino anguſta & tenuia, Ciſto foliis Thymi re*[ſp]*ondentia, guſtu etiam adſtringentia, acerba, &* [in]*cana.* Ciſtus humilis II.


Ciſtus folio Thymi.



Ciſtus humilis 1.



Ciſtus humilis II.



Frequens eſt vtraque plantula agro Salmanticenſi, vbi perdiguera *ab incolis appellatur, quòd perdices iuncta eam frequenter ſeſe volutent, & puluerent.*

A D *primum genus referenda eſt ea planta, quam nonnulli Helyanthemon Plinij eſſe volunt, alij Panacen Chironium, foliis hyſſopi vulgaris ferè, hirſutis tamen & adſtringentibus, quam Germani, quòd locis incultis inter Ericas naſcatur, & foliis hyſſopum æmuletur,* **Heyden yſſop** *appellant, cuius flos aut albus eſt, aut pallidus, aut aureus; ideo vulgo herbariorum Germanicorum Conſolida aurea nuncupata.* Helyanthemon. Panax Chironium. Conſolida aurea.

E S T *& alia quædam plantula his congener, in vinetorum Salmanticenſium marginibus, & Granatenſi regno mihi obſeruata, longioribus & rarioribus virgulis, rectis, foliis amplioribus Helyanthemo, & virentioribus, guſtu adſtringente: cuius flos ſuperiori forma ſimilis, pallidus, aut albicans: ſemen minutum ruveſcens in capitulis trigonis duplo quàm Helyanthemi maioribus.* Ciſtus annuus I.

Caſtellani turmera *vocant, Granatenſes* yerua del quadrillo.

A L I A *item inuenitur in ſilua Madritiana, ſecundò ab vrbe Lutetia miliari, ad Ciſti genus referenda, pedali altitudine, exilibus cauliculis, rectis, tenellis, non admodum ramoſis; foliis oblongis, anguſtis, hirſutis, vireſcentibus, quæ cum ramulis per Caniculæ æſtus humore quodam pingui & lento ſunt obſita, flos puſillus, quinq; foliis conſtans, vt Helyanthemi, pallido colore, & macula punicante inſignitis: capitula tenella admodum, triquetra, ſemen puſillum & cinereum continentia.* Ciſtus annuus II.

Annua vtraq; eſt hæc poſtremò deſcripta: aut altero à ſatu anno floret, deinde perit.

Ciſtus annuus 1.



Florent verò omnes iſti Ciſti eodem quo mas tempore, & ſemen etiam ad maturitatem perducunt.


SVNT *autem omnes perpetuo folio: ſed eorum flos admodum caducus, ſtatimq; ſeneſcens: radices duræ, lignoſæ, diuiſæ, in diuerſa tendentes.*

De Ciſto Ledo. CAP. XXXVI.

SVPEREST *vt tertium Ciſti genus in ſuas etiam ſpecies diſtribuamus, quæ non minus quoq; ſunt variæ, initium abs omnium vulgatiſſimo & pinguiſſimo per Hiſpanias naſcente facientes.* Ciſtus Ledon.

1. PRIMVM *igitur Ledō fruticat ad hominis altitudinem, quam etiam interdum ſuperat, ramis frequētibus, lignoſis, duris, nigris: folia, vti rami, ex aduerſo ſita, oblonga, tranſuerſum digitum quandoq; lata, nonnunquam etiam latiora, supernè nigra, infernè candicantia, quæ cum tenellis ramulis pingui quodam, odorato, calidoq; & tranſparēte liquore adeò copioſo aſperſa ſunt, vt procul etiam conſpici poſſit, & octaua miliaris parte odor naribus percipi: flore eſt inter reliqua Ciſti genera & pulcerrimo & ampliſſimo, magnæ Roſæ amplitudine, ſimplici quinq; foliorum textura, omnino interdum candido: ſed cuius maxima ex parte folia ſingula circa vnguem purpurea nigricante macula rhomboide nunc maiore & latiore, nunc minore & anguſtiore inſignita ſunt: floris vmbilicus multis croceis fibris plenus, vti reliquorum Ciſti generum: capitula in longis pediculis, foliisq; ſuis denudatis, omnium maxima, rotunda ferè & plana non mucronata, & ſæpenumero decagona, dura, intus flaueſcentia, quibus dehiſcentibus ſemen decidit copioſum, ſubrufum, omnium minutiſſimum.* Ciſtus Ledon 1.

Ciſtus Ledon 1.



Tota plnta exſiccata nonnihil candicat, ſed lento-
m & odorem ſuauem retinet ad multos etiam annos.
Creſcit hoc genus multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ lo-
s frequentiſſimè, ita vt piſtoribus ad calfaciendas for-
aces, & tenuioris fortunæ hominibus ſtruendo igni ſer-
iat. Nuſquam tamē magis copioſè, quàm in collibus,
rumq; decliuibus inter Tagum & Anam flumina,
r toto ferè monte Sierra morena nuncupato, vt mihi
liquando contigerit ad viginti ferè miliaria per huiuſ-
odi frutices iter facere.

. *Superata Calpe, littore marino, quà Malacam*
er eſt, latiore naſcitur folio, quaſi ad Lauri anguſti-
liæ formam & amplitudinem accedente; non minus
men pingui lentoq; illo humore abundat, quàm id
uod anguſtiore eſt folio.


Hiſpani vtrumque xara, *Luſitani prius* eſtepa *ap-*
ellant.

. ALTERVM *genus, vbi ſpontè naſcitur, non tam* Ledon 12.
ltè fruticat, ſed bicubitalibus duntaxat aſſurgit ſtolo-
ibus, ramoſis; fragilibus ramis: foliis omnium inter
Ciſti genera, quæ obſeruaui, maximis, virentibus ſu-
ernè, nonnihil candicantibus infernè, Hederæ foliorum
ormam interdum, & Populi nigræ plerunq; æmulanti-
us, ſatis carnoſis & rudibus, hyeme nonnihil rubenti-
us, guſtu ſubacido & adſtringente: flos Ciſti feminæ,
ùm forma, tum magnitudine, candidus: capitula pen-
agona, acuminata, ſemine exili & nigricante referta.

Tenellæ plantæ neq; pingues, neq; odoratæ ſunt, ſed
nnotinæ duntaxat, & vetuſtiores, autumno præſer-
im, quo tempore omnes Ciſti qui pingues ſunt, abun-
antiore ſucco, craſſiore ſaltem & magis tenaci præ-
nantes eſſe videntur.

a. *Huius generis alia ſpecies inuenitur, per omnia ferè*
ſimilis,

Ledon II.



milis, ſed humilior, neq; cubitum excedens; cuius folia
iam minora ſunt: alioqui neq; facie, neq; flore, neque
mine, neq; ſapore diſſimilis.

Vtrunq; naſcitur in Mariano monte (vulgo Sierra
orena) qui ſuperandus eſt iis qui Vlyſſippone Hiſpa-
m faciunt iter. Inuenitur etiam collibus quibuſdam
ranatæ vicinis.

Primam ſpeciem incolæ xara-xarguna, & xaron
cant: Granatenſes xara-eſtepa, eodem quo Caſtellani
mine Ciſtum feminam appellant. Altera ſpecies in-
lis xaguarça dicitur.

TERTIVM in Hiſpaniis vidiſſe non memini, ſed Ledon III.
mine ex Italia miſſo Ledi Cyprij nomine, nobis & ple-
ſque aliis rei herbariæ in Belgio ſtudioſis natum eſt,
bitali, interdum ampliore altitudine, fruticoſum, ra-
is nigricantibus, foliis carnoſis, nigricantibus præ vi-
re, mediæ inter primi & ſecundi generis folia magni-
dinis, breuioribus tamen quàm vtriuſq;, & rhom-
ide quodammodo figura, quæ cum nouellis ramis len-
& roſcido humore obſita ſunt, non adeò tamen copio-
& denſo, neq; etiam adeò odorato, vt in primo gene-
: flos albus, ſecundo generi ſimilis, ſemen etiam exile,
gricans in capitulis rotundis.

QVARTVM genus multis ramis fruticat, cubito Ledon IIII.
ngioribus lentis & flexibilibus, hirſutis, albicātibus:
lia reliquis Ledi generibus molliora, ad Ciſti feminæ
lia accedentia, verùm anguſtiora, hirſuta, nigriora,
pinguedine lenta conſperſa non modò verno tempore,
d etiam per totam æſtatem: flos candidus eſt, Ciſti fe-
inæ flore non minor, nec abſimilis: capitula exigua
embraneis quibuſdam & laxis inuolucris tecta, ſe-
en continent omnium maximum, nigrum.

Nuſquam hoc genus quàm in Caſtella veteri ob-
ſeruaui,

Ledon IIII.



ſeruaui, vicinis pago S. Martini del Caſtañal locis, vbi ab incolis ardiuieja *nuncupatur, adeò frequens, vt vulgare ſit iſtic prouerbium,*

Quien al monte va, y mas no puede,
A lomenos ardiuieja coge. *hoc eſt, Quicunq; montem accedit, potius quàm inanis redeat, Ardiuiejæ colligat.*

Apud nos ſatum feliciter prouenit.

QVINTVM *eodem quo proximè deſcriptum aſſurgit modò, verùm ramis duris, lignoſis, nigricātibus: foliis longis oleæ, anguſtioribus, nigricantibus, pinguibus, & cum nouellis ramulis lento humore conſperſis: flos albus omnium ferè minimus: capitula oblongiuſcula, anguloſa, in quibus ſemen ex rufo nigricans, exiguū.* Ledon v.


Ad huius radices genus illud Limodori ſiue Orobanches quod Hypociſtida appellāt inueni, multis veluti ſquammis, vt alia, compactum, colore palleſcente, lineis tamen quibuſdam purpuraſcentibus, & nonnihil vireſcentibus distincto, cytinos ſuos, vt quæ ſub aliis Ciſti generibus naſcitur, ſumma ſui parte proferens, ſuccoq; lento & glutinoſo tota prægnans. Hypociſtis varia.

Nihil isto Ledi genere vulgatius toto regno Valētino, & Gallia Narbonenſi, vbi aliud Ledum non obſeruaui, ſed in pleriſq; aliis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis etiam inuenitur.

SEXTVM *ferè ſimile eſt quinto, breuius paulò, minoribus anguſtioribusq; foliis, lēto etiam humore aſperſis, quemadmodum illius folia: flos maior, quinq; foliis conſtans, candidus, ſemen etiam ſimile.* Ledon vi.

SEPTIMVM *cubitale eſt, multis & frequentibus ramis fruticans, colore cinereo, & frequentiſſimis foliis eos ſepientibus Roriſmarini coronariæ, ſed omnino caneſcentibus, & hiſpidis: non tamen minus pinguibus & glutinoſis cum ſuis tenellis ramulis, quàm quintum* Ledon vii.

Ledon v.



Ledon VII.



genus: flos ſummis ramis copioſus, candidus, ſuperiori ſimilis, ſemen etiam non diſſimile.

Valentino regno hæc duo poſtrema mihi ſolùm obſeruata ſunt circa Xatiua, & ab incolis xaguarço *dicuntur.*

Ledō VIII. OCTAVVM *eadem qua ſuperius magnitudine creſcit, ramis tamen magis expanſis, & foliis tenuioribus, ſupina parte ex atro virentibus, inferna verò candicantibus, Roriſmarini coronariæ ferè æmulis, ſed guſtu adſtringentibus, tametſi lento quodam humore & pingui ſint cum tenellis ramis obſita: flores numeroſi ſecundum ramorum longitudinem, quinq; foliis conſtantes, exigui, lutei: ſemen in exiguis capitellis ex cinereo nigricans.*


Inuenitur hoc frequens incultis illis locis citra Tagum, ſupra Vlyſſipponem, cum Ciſto foliis Halimi, & nonnullis Bæticæ locis vbi ab incolis Romero, *hoc eſt Roſmarinus appellatur.*

Ledon IX. NONVM *minus eſt ſuperiore, folia paulò maiora, neq; ſubtus incana vti in Octauo, rariora item & magis glutinoſa: ramuli quibus flos inhæſit tenues & exſucci planeq; retorridi, in quibus capitula aliquot inania deprehendi, & omnino hiantia iam excuſſo ſemine.*

Ledon X. DECIMVM *pedali duntaxat eſt altitudine, ramulis exilibus, lignoſis, & ſatis fragilibus, nigricantibus, pinguibus, & lentore quodam madentibus: folia longè minora quàm in nono, non multum à Thymi foliis diſſidentia: flores, vt neq; in alio, non obſeruaui, ſed in oblongis ramulis quaſi vmbellatim prodeuntia capitula exigua, & ſuperiore parte aperta, iam inania & cum ſuis ramulis arida.*

Naſcuntur verò hæc duo poſtrema in extrema Bæticæ parte qua Caſtellam ſpectat, ab incolis xaguarço *nuncupata*

Ledon VIII.



Ledon IX.



Ledon x.



nuncupata; tametſi poſterius nõnulli etiam turmeruela, *quòd ſub ea fortè tubera (quæ Hiſpanis* turmas *appellantur) naſcantur; vel potius, vt exiſtimo, Hypociſtis quæ illis tuberis fortaſſe loco obſeruata eſt.*

Non minus perpetuo ſunt folio iſta Ciſti genera, quàm mas & femina.

PORRO λῆδον *Græcis hic frutex dicitur, Latinis Ledon, Plinio etiam Lada.*

Pingue verò illud quod ex eo colligitur λάδανον, *Latinis etiam Ladanum, officinis Laudanum.*

EIVS *colligendi rationem Dioſcorides & Pliniu deſcripſere. Quam verò inter recentiores Bellonius libro 1. obſeru. cap. 7. in Creta obſeruaſſe ait, adſcriber hîc libet: cùm ab alio nemine ſit adhuc prodita.*

Ladani colligendi ratio

Græci colligendo Ladano inſtrumentum peculiar parant, vernaculo ſermone Ergaſtiri dictum. Eſt verò id inſtrumentum raſtro ſine dentibus ſimile; huic affixæ ſunt aliquot ligulæ ex corio rudi neq; denſato au præparato confectæ. Eas leniter adfricant fruticibus ladaniferis, vt illis adhæreat liquidus ille humor circa folia & ramulos concretus, qui deinde à ligulis per ſummos caniculæ ardores cultris eſt abradendus. Itaq; Ladanum colligendi ſummus, imò intolerabilis eſt labor, cùm neceſſe ſit totos dies ſummo caniculæ æſtu in montibus hærere. neq; verò facilè quiſquam alius ad id colligendum operam ſumit, præter Calohieros, hoc eſt monachos Græcos. Nuſquam verò maiore copia tota inſula cogitur, quàm ad radices montis Idæ, pago Ciguali gnus nũcupato, & apud Milopotamon. Hæc Bellonius.

Si quis tamen in Hiſpaniis huic colligendo operam nauare vellet, multo minore, vt mihi videtur, negot magnam eius copiam colligere poſſet (cùm integræ al quando ſiluæ inueniantur omnium pinguiſſimi illi

Le

Ledi quod primo loco deſcripſi) atq; etiam longè puriſſimi & reſinoſi odoratiq́;.

CÆTERVM *Ladanum primo exceſſu calidum eſt, adhæc ſubſtantia tenui, proinde emolliens, & moderatè digerens, atq; etiam concoquens: itaq; mirandũ non eſt, ſi peculiariter ad vteri vitia conueniat: ſimiliter adſtrictionis paululum habet, quocirca etiam defluentes capillos retinet: nam quidquid praui humoris ad radices eorum reſedit, id omne abſumit, tum meatus quibus infixi ſunt, contrahit.*


De Chamelæa. CAP. XXXVII.

CHAMELÆA *ſurculoſus frutex eſt, ramis palmaribus, interdum minoribus, præſertim calidis regionibus: folia perpetuò virentia, Oleæ ſimilia, minora tamen nec incana. ſed viridiora, guſtu amaro & linguam vellicante poſtmodum: flores exigui, pallidulí aut lutei, tribus foliolis conſtantes, qui ex foliorum alis prodeunt: deinde fructus tricoccus, vt in Tithymali generibus, pellicula primùm viridi, deinde per maturitatem rubra, amara, & linguam mordente circundatus, durus, & vbi exſiccatus fuerit, niger. Floret Aprili, fructus Auguſto matureſcit.* Chamelæa I.

Naſcitur regno Valẽtino, totaq́; Catalonia & Aragonum regno: verùm multo breuior & candidior quàm in Gallia Narbonenſi. Certè agro Mompeliano circa Mirauaux, & collem illum vicinum frequens, viaq́; ad Frontignanam vrbem monti Setio vicinã, vbi multò vegetior viridiorq́; eſt quàm in Hiſpaniis. Nunc etiam à rei herbariæ ſtudioſis in Belgio alitur.

Χαμέλαια *Græcis quaſi humilis Olea dicitur: Latinis Græcum nomen retinet Chamelææ. Quidam*

Chamelæa.



Hiſpani oliuilla *vocant*, *Prouincia Narbonenſis* Garoupe.

Est *aliud Chamelææ genus ex Italia delatum: planè ab hac differens, recto ſtolone fruticans, ramis admodum flexibilibus & cortice tenaci obductis, qui difficile diſrumpi poteſt: folia admodum conferta, carnoſa, Daphnoidis formam imitantia, ſed multò minora, & incana lanugine, infernè præſertim, pubeſcentia: flores ſimul congeſti quatuor foliolis conſtantes, ex lanuginoſis, colorisq; argentei calyculis prodeuntes, colore purpuræ dilutiſſimæ: fructus non tricoccus vt ſuperior, ſed vnicus, oblõgiuſculus, tenui membrana miniata obductus, ſucculenta carne, nucleum in ſe continens feruidum.* Chamelæa II.

Eam ſolummodo apud nos in hortis vidi, bis interdum florentem.

Porro *Dioſcorides pituitam & bilem detrahere, in catapotiis ſumptam, ita vt duæ Abſinthij partes ad vnam Chamelææ miſceantur, & hydromelite exceptæ in catapotia cogantur, auctor eſt: non tamen liquefieri in ventre, ſed quotquot aſſumpta ſunt regeri. Huius item foliis cum melle tritis ſordida vlcera & cruſtoſa repurgari.*

De Thymelæa. CAP. XXXVIII.

Thymelæa *frutex eſt pollicari interdum craſſitudine, cubitalis aut amplior, qui in multas virgas ſeſe diuidit cubitales, pulchras, tenues, rectas: quas obſepiunt perpetuò virentia folia Lini, maiora & latiora, mucronata, non cuſpide obtuſa vt Chamelææ, neq; ita fragilia, ſed lentiora, & gummoſum quiddam præbentia ſi dentibus atterantur: flores fert in extremis virgis candidos, Oleæ ferè ſimiles, quatuor foliolis conſtantes, copioſos,* Thymelæa.

Thymelæa.



copioſos, racematim fermè propendentes: deinde fructũ baccarum myrti interdum magnitudine, oblongiorem paulò, per initia virentem, poſtmodum vbi maturuit rubrum, coralli modo, carne ſucci plena & aquoſa vt in Ceraſiis, ſub qua latet vnicum ſemen, nigra fragilique pellicula, albam & feruido guſtu medullam obuoluens. radix lignoſa & dura, in tenellis verò plantis raphani modo efformata, & craſſo cortice tecta, lentoq́; & admodum tenaci quemadmodum tota planta.

Floret Iulio, & per totum interdum autumnum, & ſubinde ſemen profert.

Naſcitur locis aſperis, per totam ferè Hiſpaniam, & pleriſq; Galliæ Narbonenſis.

GRÆCI θυμελαίαν *vocant, nonnulli etiam* χαμελαίαν *teſte Dioſcoride, &* πυρὸς ἄχνην, *&* κέβον *&* κνέωρον *(tametſi eodem teſte folia peculiariter* κνέωρον *appellentur) Syri* ἀπόλινον, *Eubœenſes* αἰτώλιον, *Hiſpani* torviſco; *cuius baccis menſe Octobri & Nouembri plerunque auiculis inſidiantur.*

Eius fructus κνίδιος κόκκος *dicitur, Granum cnidium Latinis.*

FOLIA, *inquit Dioſcorides, per meſſes colligi debent, & ſiccata in vmbra recondi: & ſi dare libebit, anteà tundi, & nerui eximi. Purgat autem & aquoſa ducit eorum acetabuli menſura vino diluto inſperſa: moderatiùs autem lente cocta, & oleribus contritis admiſta.*

Seminis medulla per inferna bilẽ, pituitam, aquaſq́; detrahit, ſi viginti granorum pars interna bibatur; verùm fauces adurit: itaq; cum farina aut polẽta, aut in vuæ acino dari debet, aut melle cocto obducta deuorari.

De

De Sanamunda. CAP. XXXIX.

SVPERIORIBVS *meritò coniungi poſſe exiſtimo duo ſuffruticum genera quæ Sanamundæ nomine cognominata per Hiſpanias deprehendi, & tertiũ illis ſimile.*


Sanamunda I. PRIMVM *multis cubitalibus ramis ab eadem radice fruticat obſequioſis, flexibilibus, cortice exteriore nigreſcente obductis, alium interiorem lentum & in tenuia fila ſe diſſoluentem complectente: folia Chamelæa æmula, multò tamen minora, breuiora carnoſaq́; Tithymalo paralio aut Myrto proximè accedentia, ſed hirſuta aliquantulum, circa ramulos confertim & ſerie quadam vt in Myrto diſtributa, gummoſa ſi mordeantur, & guſtu amaro, deinde admodum acri & adurente: flores inter folia Oleæ ſimiles, oblongi, in quatuor foliola per extremum diuiſi, colore luteo: fructu (quẽadmodum ex relatu accepi) Thymelææ ferè, ſed nigricante colore: radix craſſa, lignoſa.*

Frequens eſt regnis Granatenſi & Valentino, ver florens, hoc eſt Martio & Aprili.

ISTIC *ab herbariis Sanamunda vocatur, à ruſticis verò* mierda-cruz, *propter purgandi facultatem cuius cauſa ruſticis eius regionis adprimè in vſu eſt.*

Sanamunda II. ALTERVM *ad cubiti altitudinem etiam frutica ramis lentis & flexibilibus, cortice denſo & carnoſo in tectis, qui (ſublata exteriore cute) per vniuerſam plantam, & præſertim circa radicem, Lini aut Canabis modo in fila diduci poteſt: ſuperiores ramuſculi denſorum confertorumq́; & lanuginoſorum & veluti tomen quodam obſitorum foliolorum comã pariunt, ſuperio minorum, & mucronatorum, guſtu aliquantulum ſa ſo, ſed tamen acri deinde & calido: hæc coma flaueſce tium floſculorum Oleæ ſimilium numeroſa ſobole exo natu*

Sanamunda I.



Sanamunda II.



natur: radix craſſa & lignoſa ſuperiori ſimilis.

Iſtius fructum non obſeruaui quoque, quandoquidē Februario florentem inueni petroſo ſolo maritimis Bæticæ, inter Calpen & Eſtepona, & montibus Granatæ proximis.

GRANATENSIBVS Mauritanis Sanamunda vocatur, apud quos purgādorum corporum gratia magno eſt in vſu: Drachmæ etenim pondere cum decocto cicerum ſumpta, mirificè purgat per inferiora.

Circa Calpen, vbi vulgò Burhalaga appellatur, nullo in vſu præter quàm excalfaciendis fornacibus.

TERTIVM reliqua duo magnitudine excedit, virgis candidioribus & multò lentioribus, corticéque ſupra modum tenaci & obſequioſo: extremi ramuli, qui copioſi ſunt & omnino ferè tomentoſi, veluti comam efficiunt procumbentem, & foliolis obſiti ſunt frequentibus, carnoſis, paruis, Semperuiuo minori Dioſcoridis, quod nonnulli Illecebram vocant, admodum ſimilibus, vrentis etiam facultatis: flores ſuperioribus ſimiles, nonnunquam herbacei, interdum pallentes. Sed neque iſtius fructum obſeruaui: floret autem quo ſuperiores tempore. Sanamunda III.

Inuenitur hoc à freto Herculeo, toto illo tractu maritimo, ad Pyrenæos vſque.

QVO nomine hoc poſtremum genus vulgò appelletur, ignoro. Similem autem fruticem ſiccum ad nos aliquando miſerunt clariſs. vir Alfonſus Pantius medicus & profeſſor Ferrarienſis piæ memoriæ, & ampliſſimus Iacobus Antonius Cortuſus Patauinus patricius, hic quidem Ericæ Alexandrinæ nomine, ille verò Cneωri.

Verùm an Cneωri an alio nomine veteribus deſcriptæ ſint hæ plantæ, aliis indicandum relinquo. Certum

Sanamunda III.



tamen eſt Thymelææ congeneres eſſe, & iiſdem facultatibus pollere.

De Hippogloſſo Valentino.
CAP. XL.

SVFFRVTEX *hic eſt potius quàm herba, cubitali aut ampliore altitudine, multis ramis lignoſis, duris, nigricantibus, neq; lentis aut fractu contumacibus præditus, circa quos, interdum ex tuberculis multa confertim & ſimul iuncta folia naſcuntur, in tenerioribus verò ramis, qui rubeſcunt, rariora, Myrti ferè, oblongiuſcula, ex cæruleo nigricantia, carnoſa, nigricante pediculo, cuſpide acuminata, extremæ amaritudinis: flores ſummis ramulis ſingulares inhærent ſquammatim compacti, interioris orbis florũ Scabioſæ aut Morſus diaboli magnitudine, in medio villoſi & lanuginoſi, ex cæruleo candicantes, per ambitum verò omnino cærulei: fructum ſiue ſemen ignoro: radix dura & lignoſa.* Hippogloſſon Valentinum.


Florentem inueni menſe Februario & Martio in Bæticæ ſolitudinibus circa Antequerã, & regno Murciano inter Velez el rubio & Lorca, totóque regno Valentino.

BÆTICI coronilla de frayles, & ſiempre enxuta, *quòd ſemper arida & exſucca videatur, appellant: Murciani verò & Valentini vulgari voce* ſegullada.

Nonnulli Valentini profeſſores Hippogloſſum eſſe cenſebant, cùm tamen nihil cum Hippogloſſo Dioſcoridi deſcripto commune habeat, niſi quis fortè ob foliorum cum Ruſci foliis affinitatem ſic iudicandum putet, quæ tamen in hoc frutice circa pediculum ſunt oblongiora & anguſtiora: prætereà facultates etiam diſſimiles.

Sunt qui Alypi nomine donare malint: ſed cùm planè arida ſit & exſucca, non video qua ratione Alypũ quorundam.

Hippogloſſum Valentinum.



ſuam ſententiam ſtabilire poſſint.

CÆTERVM *circunforanei Bæticæ medici eius decoctum propinare dicuntur iis qui ſcabie Gallica laborant, non ſine magno (vt aiunt) ſucceſſu.*

De Caſia quorundam.

CAP. XLI.


CVBITALIS *eſt hæc plāta, fruticoſa, tenues virgas ferens, vireſcentes, lentas, interdum etiam nigricantes, præſertim dum nouellæ ſunt; & in his folia Lini rarius per ramos ſparſa, guſtu amaro: flores aliquot ex luteo vireſcentes, muſcoſi, corni æmuli, adſtringentes, in eodem pediculo congeſti: fructus deinde Myrti, primò viridis, vbi maturuit ruber Corallij aut Aſparagi fructui maturo ſimilis, ſubdulcis lentuſq́, poſtmodum nonnihil acrimoniæ exerens, oſſeo intus nucleo, qui medullam habet candidam, dulcem. Radice nititur dura & lignoſa. Floret æſtate, fructus Octobri matureſcit.* Oſiris fortè Plinij.

Variis Hiſpaniæ locis creſcit ſecundum vias; frequentiſſimè autem Granatenſi & Valentino regno. Mompeliano etiam agro obſeruaſſe memini ad ingreſſum pagi Peraul, ad ſtagnum Volcarum ſiti, deinde ſilnula ad Egremont cœnobium.

MEO *tempore iſtic à ſtudioſis pro Oſiride habebatur: ſucceſſores Caſiam appellare maluerunt, quod nomen etiam nonnullis Hiſpaniæ locis obtinet. Doctiſſimus Plaça Polygonum Plinij exiſtimabat: quod ſi fuerit, ad quartum Polygoni Pliniani genus referendum eſſet. Nos tamen aliam plantam proponemus, quæ cum eius deſcriptione magis quadrare videtur. Hiſpanorū vulgus Badajoz & vicina incolens loca,* guardalobo *lingua vernacula nuncupat.* Caſia. Polygonum

Si quis cū Oſiride Plinio deſcripta conferet, aliquot

Caſia quorundam.



notas conuenire deprehendet. Nihil tamẽ ſtatuere volo. Certè κνέωρον Theophraſti, quod Caſiam ab Hygino vocari Plinius tradit, cuiusq; ipſe libro 21. cap. 9. ex Theophraſto duo genera eſſe conſtituit, minimè eſſe poteſt. Sed neq; etiam Virgilij Caſia, planta odorata, cuius in Bucolicis & Georgicis meminit. κνέωρον.

De Vua marina vulgari.

CAP. XLII.

HVIVS duo genera per Hiſpanias mihi ſunt obſeruata, ſola duntaxat magnitudine inter ſe differẽtia.

PRIMVM humana interdum magnitudine fruticat, Spartij, quod Hiſpani retama vocant, modo, interdum brachialis craſſitiei ſtipite, oblongis ramis, nigricantibus, qui deinde multas virgulas ferunt pedales, tenues, multis internodiis diſtinctas, vt Equiſetum ferè, propendentes, ſine foliis, guſtu admodum adſtringente: florem ſecundum internodia confertum, minutũ, & muſcoſum, cornus flori non abſimilem, pallidum: deinde fructum exiguis moris ſimilem, rubentem, ſucculentum, acidum, in quo vnum aut alterum granum milio ferè ſimile ineſt foris nigrum, intus album: radix dura, lignoſa. Polygonum 4. maius.

ALTERVM humile eſt, gracilibus, ſarmentoſis & frequentibus ramulis fruticoſum, qui internodiis vt in ſuperiore diſtinguuntur, humi ſparſa & profuſa coma, ſine foliis vti ſuperius, nec minus adſtringens, ſimili flore & fructu: radix longè lateq; ſerpens & ſubinde nouas proles ſub terra promens. Polygonum 4. minus.


Floret vtraq; planta menſe Maio: fructus Auguſto etiamq; ſerius matureſcit.

Primam tamẽ initio Martij floribus onuſtam etiam

Polygonum IIII. maius.



Polygonum IIII. minus.



deprehendi circa Velez el rubio regno Murciano, vbi plurima naſcitur, nuſquam alibi mihi conſpecta.

Alteram etiam frequentem inueni in colle quodam ſecundo à Salmantica miliari, totius ferè Hiſpaniæ meditullio, longiſſimè à mari. Quod equidem ſatis mirari non potui, cùm anteà copioſam obſeruaſſem locis maritimis, & toto illo tractu inter ſtagnum Volcarum & mare Mediterraneum, ſupra Peraul & Magalonam, ad montem vſq; Setium.

HISPANI Belcho primum vocant. Alterum Galliæ Narbonēſis incolæ raſins de mar, hoc eſt Vuam marinam.

Tragum. Meo tempore peritiores ſecundum & pumilum genus ad Dioſcoridis Tragum ſeu Traganum libro 4 deſcriptum referebant: cuius ſanè aliquot notæ non ineptè huic plantæ quadrant.

Androſace. Nonnulli poſteà ad Androſacen retulerunt, Bellonium ſecuti, qui lib. 3. obſeruat. cap. 41. de Andro- ſace agens, hanc innuere videtur.

Croton. Peritiſſimus Anguillara Crotonis, cuius Nicandri interpres mentionem facit, nomine, hanc ni fallo deſcribit iudicio duodecimo. Creſcit, inquit, ad flume Sebenicum in Dalmatia frutex humilis, Pino ſimili admodum, frequentibus nodis, cuius folia [cirri ſeu ra muli potius] Equiſeto minori ſimilia ſunt, eius flos ru feſcens, tametſi pallentem viderim; qui deinde in fru ctum extuberat rotundum Ceraſo minorem, maturita te colorem rubrum contrahētem, qui etiam edendo e poſſit. Naſcitur locis aſperis, & mōtoſis & ſaxoſis, &

MVLTIS verò notis, primū præſertim huius pla te genus, mihi cum Polygono quarto Plinij quadra videtur, quod his verbis deſcribit libro 27. capite 1 Quartum genus Silueſtre appellatur, penè arbo mo

modo frutex, radice lignoſa, ſtirpe Cedri rubicundo, amis Sparthi, binum palmorum, nigris geniculorum ernis quaternisve articulis. Huic quoq; ſpiſſandi na-ura, ſapor mali cotonei.

Deinde quas Dioſcorides Polygono tribuit facul-ates, adhuc hodie apud eius regionis, vbi hic frutex aſcitur, incolas, in vſu ſunt. Etenim eius decoctum enis & veſicæ vlceribus conferre aſſerunt.

POSSET *tamen ad Ephedram fortè etiam referri, uius idem Plinius lib. 26. cap. 7. in hæc verba memi-it: Caucon quæ & Ephedra, ab aliis Anabaſis vocata, aſcitur ventoſo ferè tractu, ſcandens arborem, & ex amis propendens, folio nullo, cirris numeroſa, qui ſunt unci geniculati, radice pallida.* Ephedra.

Hanc Bellonius libro 1. & 3. obſeruationum arbo-es conſcendere dicit, cuius & fructum, Androſaces ſi-nilem, rubrum ediſſe refert.


Ego verò hanc plantam ſolam ferè naſcentem & ſeſe iſtinentem, neq; adminiculo egentem inueni.

De Anagyri. CAP. XLIII.

TAMETSI *nonnulli plura Anagyris genera ſe vi-iſſe referant: ego vnicum duntaxat legitimum, quale idelicet à veteribus deſcriptum eſt, obſeruaui.*

ARBVSCVLA *eſt humanam altitudinem non dmodum ſuperans, in calidis præſertim regionibus, uamuis etiam duorum hominum magnitudinẽ æquaſ-conſpexerim alibi, multis ramis fruticoſa, cortice ex iridi nigricante obductis, è quibus ramuli proſiliunt nuſti foliis trifolij ferè mœnianthis, hoc eſt ternis ſimul unctis, ſed supernè dilutius virentibus, auerſa verò arte incanis, vt viticis folia, odore ſpatulæ fœtidæ vulgaris,* Anagyris.

Anagyris vera.



ulgaris, quam nonnulli Xyridem eſſe volunt, adeò ·aui, vt etiam tranſeuntibus ſuo fœtore caput offen- ıt. Ex foliorum ſedibus & alis bini, terni, aut quater- ad ſummum flores ſimul prodeunt oblongi, quinq; fo- is conſtantes geniſtæ ferè aut Cytiſi modo, ſed quorum premum quodq; reliqua integit breuius eſt, & mini- è reflexum vt in illis, & colore intensè aureo, reliquis lleſcentibus: ſiliquæ deinde ſuccedunt digitali longi- dine, pollicari verò latitudine, cartilagineæ, in qui- s terna aut quaterna ſemina, nonnunquam plura, tis magna, exiguis phaſeolis ſimilia, renis forma, quæ itio albent, deinde colorem purpuraſcentem contra- unt, tandem per maturitatem ex cæruleo nigricant: aptiſſimè Dioſcorides ποικίλον dixerit, cùm in eodem ıctu non benè maturo tres differentes colores ſubinde nſpiciantur.

Primò hanc arbuſculam naſcentem inueni primo ab Arelate lapide ſaxoſo quodam colle, qui dicitur Diui Antonij, monente clariſs. viro, eodemq; profeſſore pri- ario Academiæ Mompelianæ D. Gulielmo Ron- letio. Deinde copiosè circa Hiſpalin totius Bæticæ nporium celeberrimum, & etiam ad Mundam, Malacam, atq; Valentiam.

FLORET iſtic Ianuario & Februario, æſtate ſe- en maturatur. Huius lignum intus non nigricat, ſed nnihil palleſcit potius.

Ἀνάγυρις, ἢ ἀνάγυρος, à nonnullis etiã ἄκοπος Græ- appellatur teſte Dioſcoride & Plinio, Latinis Ana- ris, officinis ignota. Vulgare nomen Hiſpanicum n intellexi.

TENERA folia trita Dioſcorides refert illitu tu- ores reprimere, & ſi partus hæreat, & ſecundæ men- q; morentur, drachmæ pondere bibi in paſſo: ſic & ſuſpirioſis

ſuſpirioſis dari, & contra capitis dolores in vino: diffi-
culter parientibus adalligari, ita vt à partu ſtatim au-
ferantur. Plinius addit in vino vetere ad phalangiori
morſus dari. Radicis cortex, vtrique, concoquēdis diſ
cutiendisq; adhibetur: & ſemen manducatum, vomi-
tiones vehementer ciet.


De Cytiſo. CAP. XLIIII.

IN *tanta opinionum varietate de Cytiſo, iudicar*
difficile eſt quænam ſit legitima Cytiſus veteribus de
ſcripta.
Verùm, nemo vti ſpero negabit, quin quos propon
frutices, ad Cytiſi genera referri debeant.
Cytiſus I. PRIOR *interdum arbuſculæ magnitudine ex*
creſcit, ſtipite duro, materie flaueſcente, ſed medull
nigricante: qui cum maioribus ramis & virgultis corti
ce candicāte obducitur: tenelli ramuli toti hirſúti ſunt
folia numeroſa ramos ambiunt, terna vni pediculo in
hærentia Medicæ modo, dilutiore virore, ſapore legu
minum viridium, amaro tamen: aliquot flores extre
mis ramulis quaſi ſpicæ in modum naſcuntur, Geniſt
ſimiles, lutei, nonnihil odorati: deinde ſiliquæ Geniſt
ſimiles, oblongæ, aſperæ tamen & hirſutæ, in quibus ſ
men exiguum, tumidiuſculum, nigricans, Geniſta m
nus: radix lignoſa, & in diuerſa tendens.
Cytiſus II. ALTER *duorum cubitorum duntaxat altitudi*
eſt, fruticoſus, virgas proferens cādidas omnino, tenu
ramoſas: folia ſuperiori ſimilia, terna ſemper ex vno p
diculo naſcentia, ſed minora, omnino incana, & nu
quam expanſa, ſed quaſi ſemper complicata, dorſo pr
minente, impensè amara: flores vt in altero extrem
ramis inſidentes, ſuperioribus forma ſimiles, ſed colo
intenſio

Cytiſus I.



Cytiſus II.



intenſiore & planè aureo: ſiliquæ vt in altero oblongæ, aſperæ, mucrone autem deorſum inflexo, ex nigro purpuraſcentes, ſemine quàm in altero paulò maiore & ſubnigro: radix ſuperiori ſimilis.

Vterq; creſcit Salmanticenſi agro, & aliis vtriuſq; Caſtellæ locis ſecus vias. Florent Iunio, ſemen proferunt Iulio & Auguſto.

Nobis etiam in Belgio vterq; creuit ſeminibus ad amicos ex Hiſpania miſſis: nunc verò vtrumq; genus hyemis rigoribus periiſſe exiſtimo.

TERTIVS *pedalibus, rarò cubitalibus, aſſurgit ramulis, tenuibus, omnino incanis: quos exornant folia terna ſemper, breui pediculo inhærētia, quorum medium dupla longitudine reliqua ſuperat, colore cinereo & incano, ſapore adſtringente & linguam exſiccante: ramuſculi ferè ab imo ad ſummum, per ſingulorum foliorum exortus, floribus onuſti ſunt, binis aut ternis ſimul naſcentibus ex vaginula quadam molli, & candida lanugine hirſuta, aureo colore fulgentibus, odore iucundo, ſimili cum ſuperioribus forma, ſed minoribus. Eius fructum non obſeruaui.* Cytiſus III


Inuenitur variis Hiſpaniæ locis, præſertim Bætica: ſed nuſquam abundantiorem vidi, quàm regno Valentino, vbi eius plurimus eſt vſus: ſiquidem illius ramis ſupra tegetes ſparſis ab his qui bombyces alunt, iam ſaturi mori foliis bōbyces, ſtamina ſua ſericea his ramis aduoluunt, quæ deinde à mulierculis & pueris explicantur.

VALENTINI boga, *aut* boxa blanca *appellant.*


QVARTVS *humana eſt altitudine, oblōgis virgis, nō admodū fruticoſis, neq; obſequioſis, cortice nigreſcēte obductis: folia ei ſunt trifolij aut Medicæ, terna ſimul vni pediculo inhærētia, ſupina parte virētia, prona verò* Cytiſus IIII

N ſubrufa

Cytiſus III.



Cytiſus IIII.



ſubrufa lanugine hirſuta, ſapore leguminum amariuſculo: flores ex alarum ſinu reliquis maiores, cum Geniſtæ floribus comparandi, luteo auri colore fulgentes. Neq; huius ſemen obſeruaui, cùm ſolummodo ad montium radices circa Calpen, & Bæticæ maritimis Februario florentem inuenerim.

Ab incolis vulgari nomine Eſcabon *dicitur.*

S C I O *& alios frutices Cytiſi nomine proponi, quos, quoniam diligenter deſcripti ſunt, hîc ſubijciendos non æſtimaui, ſed eos tantùm quos à nemine antè obſeruatos ſciebam, & Cytiſi nomine comprehendi poſſe putabam.*

P O R R O *Cytiſi folia refrigerare, tumores inter initia diſcutere, ſi cum pane trita illinantur: decoctum potu vrinam ciere Dioſcorides ſcribit.*

Columella lib. 5. cap. vltimo, Plinius lib. 13. cap. 24. addunt ex Ariſtomacho Athenienſi nutricibus in defectu lactis aridum atq; in aqua decoctum, potui cum vino dari: firmiores celſioresq; infantes fiere: & alia pleraque ad Cytiſi culturam, & pecorum ex eo pabulum pertinentia.

De Polygala Valentina. CAP. XLV.

C Y T I S O *ſubijcienda eſt elegans hæc planta, quam nuſquam alibi quàm in Hiſpaniis obſeruaui.*

Polygala 1. E S T *autem fruticoſa, binos palmos alta, multas ferens virgulas lentas, ſparti aut iunci modo: folia ſingulis oblongis coſtis inhærent impari plerunque numero, quina, ſeptena aut plura, Lenticulæ ſimilia, magis tamen carnoſa, & ad rutæ colorem accedentia, guſtu adſtringente & ingrato: flores meliloto ſimiles, colore luteo, coronæ in modum ſummis virgulis (quæ magna ex parte nudæ ſunt & maturo ſemine areſcunt) inſident:*

incurua,

Polygala Valentina I.



incurua, longæ & teretes ſuccedunt ſiliquæ, tribus aut quatuor internodiis diſtinctæ, quæ ſemen continent durum, oblongum, nigrum, ingrati ſaporis: radix longa, dura, lenta, ſic ſatis craſſa. Perpetuò viret. Floret Aprili, Maio & Junio, ſemen verò Julio maturum eſt. Jnueni etiam & Februario & Septembri florentem. Apes ex eius flore plurimum mel colligere creduntur.

Agro Salmanticenſi frequens ſecus vias: inuenitur etiam Granatenſi, Murciano, & Valentino regnis locis arenoſis & collium decliuibus.

SALMANTICENSES Coroñilla de Rey *vulg appellant, quaſi ſertulam regiam; & iſtic officinæ Meliloti vice vtuntur. Granatenſibus & Murcianis* lentejuëla, *id eſt Lenticula dicitur. Valentini Polygalam appellant.*

Polygala II INVENITVR *in collibus ſiluoſis Valentiæ vicini & alia huic admodum ſimilis, ſed maioribus ramis, firmioribus & vtcunque rubentibus: foliis etiam maioribus viridioribus, frequentioribus & carnoſis: floribus maioribus & dilutioris coloris: ſiliquis etiam paulò craſſioribus: ſemine omnino ſimili.*

Polygala III ITEM *eiuſdem vrbis maritimis tertia, oblongis lentisque & fungoſis ſeu medulloſis virgis, omnino virentibus, quas rara obſepiunt folia, ſuperioribus adhuc magis carnoſa, ſed molliora: flos ſecundæ ſimilis, ſemen non obſeruaui.*

Viret etiã perpetuò vtraque, & quæ in collibus naſcitur diutiſſime floret, & vere, & autumno.

Aluntur etiam prima & ſecunda in Belgij hortis.

PORRO *Polygala Dioſcoridi & Plinio guſtu adſtricto, quæ pota lactis abundantiam facit.*

De Geniſta tinctoria.

CAP. XLVI.


A D *binorum cubitorum altitudinem creſcit interdum hic frutex, nudo ſtipite, enodi, recto, digitali craſsitudine, candicante cortice obducto, in multiplices breuesq́ ramos ſumma parte ſeſe diuidens tenellos & fragiles, quos ornant folia Lini aut Thymelææ frequentia, supernè virentia, inferiore verò incana & planè argenteo ſplendore, guſtu primùm linguam exſiccante & nõnihil adſtringente, deinde ſubamaro: flores ſummis ramulis naſcuntur ſpicatim Geniſtæ tinctoriæ Germanicæ ſimiles, lutei. Tota planta elegans aſpectu.* Geniſta tinctoria.

Nuſquam hunc fruticem conſpexi, quàm Murciano regno ſecundum vias, menſe Martio florentem. Incolæ ſcoba *vocant.*

Q V O *tempore floret, ſub eo creſcit Limodori quoddam genus elegans, pedali altitudine, brachiali interdum craſſitie, multis floribus à medio caule ad ſummũ vſque exornato, magnis, oblongis, luteis, & in quinq́ crenas extrema parte diuiſis: tota humida, pingui oleaginoſaq́ materia turgens.* Limodorũ.

Incolæ yerua tora *appellant.*

Geniſta tinctoria.



De Dorycnio Hiſpanico.

CAP. XLVII.

Dorycnium Hiſpanicum

FRVTICOSA *& ramoſa hæc eſt planta, pedem ut amplius alta, tenues proferens virgas, incanas, flexibiles: folia oleæ, incana, ſed longè minora, terna ſimul, interdum etiam plura ab eodem exortu prodeũtia, gu... adſtringente, in nouellis ramis, qui nondum florem ...otulerunt, admodum frequentia & conferta: flos co...oſus, paruus, trifolij pratenſis æmulus, albus, veluti capitulum coactus ſummis virgis inſidet: quo deci...nte, quaternæ, quinæ, aut plures interdum ſuccedũt ...nul iunctæ valuulæ erui magnitudine, rufeſcentes, in ...arum ſingulis, vt plurimum ſingula ſemina continẽ...r verſicoloria, ſeu varia, qualia ferè Tithymali pa...lij ſemina, cùm figura, tum colore, tum magnitudine: ...dix nigricans, dura, & lignoſa. Perennis eſt & ſem...r virens.*

Exit copioſè agro Salmanticenſi; memini & agro ...arbonenſi videre: & hac æſtate frequentiſſimam non ...odò Viennenſi agro, ſed pleriſq; Pannoniæ locis.

Floret Maio & Iunio: ſemen valuulis maturitate hiſcentibus exilit Iulio.

QVOT QVOT *erant Salmanticæ rei herbariæ ſtu...oſi, Dorycnium vocabant, quo verſabar iſtic tempo... quo nomine etiam apud Mompelianos ante mul... annos donatum fuit. Anguillara etiam hanc ſen...ntiam amplecti videtur.*

Eius ſemen à clariſſimo viro Vlyſſe Aldrouando ali...ando miſſum fuit Trifolij albi nomine, ex quo plan... ſunt natæ. Salmanticum vulgus mijediega *vocant.*

Licet cum Dorycnio Dioſcoridi deſcripto nonnul... notas communes habeat, non tamen per omnia

Dorycnium Hiſpanicum.



eſpondere videtur eius deſcriptioni.

Hvic ferè ſimilis planta regno Valentino & qui-uſdam Bæticæ locis naſcitur, cubitalibus, & viminis nodo obſequioſis virgis, ſuperiore gracilioribus, foliis breuioribus & latioribus, breui pediculo ternis aut quinis ſimul iunctis & ramulos amplectentibus, guſtu ſalſo & non nihil acrimoniæ obtinente: oblongi ramuſculi ternos, quaternos, aut quinos flores ſuſtinent Medica maiores, flore viridi: alioqui tota planta candida eſt omnino & incana, magis etiam quàm ſuperior. Dorycnio congener planta.

Veteres porrò Dorycnium ſomniferum referũt, & copioſius hauſtum mortem adferre dicunt.

De Sparto Græcorum.

CAP. XLVIII.


Omnibvs eſt notiſſimum Spartum ſiue Spartiũ Dioſcoridis eſſe Geniſtam Pliny, ſiue illam Hiſpanicã & Africanam, flore odoratiſſimo, virgulis planè iunceis & fractu contumacibus, quibus rara quædam folia inhærent dum floret, deinde breui decidunt, & tota planta ſine foliis ſpectatur. Geniſta Plinij.

Eius deſcriptionem hîc proponendam non duxi, cùm a pleriſq; & diligenter & accuratè ſit perſcripta. Quæ tamen in Hiſpaniis alia obſeruaui genera, quòd noua ſint & nemini adhuc deſcripta, oculis ſubijcienda exiſtimaui.

Est verò vnum ſtipite cubitali plerunq;, pollicari craſſitie, cortice ſcabro & ſtriato, qui in plures ramos cubitales vireſcentes & ſtriatos ſeſe diuidit, & hi deinde in virgulas iunceas, virides etiam & ſtriatas, quæ, dum nouellæ ſunt & primùm germinant, aliquot foliis exornantur, ſtatim atq; planta florere incipit deciden- Spartium 1.

tibus,

Dorycnio congener planta.



Spartium 1.



tibus, vt poſteà ἄφυλλ⊙ tota planta conſpiciatur: è virgularum lateribus prodeunt oblongi pediculi, ex quibus dependent flores aliquot exigui, glycyrrhizæ ferè vulgari ſimiles aut trifolio pratenſi, colore luteo, inodori: deinde lobi cartilaginei, rotundiuſculi, fabæ vulgari quæ in iumentorum pabulum cedit perquam ſimiles, colore ex flauo rufeſcente, in quibus ſemen vnicum maxima ex parte continetur, (rarò bina) durum, nigrum, exiguo reni ſimile, quod in lobis, dum agitantur aut quatiuntur, crepitat, & ſonitum edit: radix dura, lignoſa.

Spartium II ALIVD *planè huic ſimile, longè tamen maius, & hominis altitudinem ſuperans inuenitur, virgulis priore tenuioribus & lentioribus, magisq́ obſequioſis, flore paulò maiore & omnino candido: lobis à ſuperiore, forma non differentibus, ſed minoribus, ſemen etiam minus continentibus.*

Primum variis Caſtellæ vtriuſq́ locis creſcit arenoſo ſolo, floretq́ Maio: ſemen maturum eſt Iulio.

Alterum Gadibus duntaxat, & locis vicinis, aura marina perflatis, mihi conſpectum eſt arenoſo & ſterili ſolo, & Februario florens, cuius lobos, quos in planta non obſeruaui, ex Hiſpaniis in Belgicum deinde ad me amicus miſit.

VTRVMQVE *genus Hiſpani* retama *vernacula lingua dicunt: Geniſtam verò odoratam,* hinieſta & ynieſta: *vulgarem & Septentrionalem, quæ pleriſq́ locis etiam iſtic naſcitur,* ſcobas, *quòd ea, quemadmodū noſtrates, ſcoparū, quibus ædes purgantur, loco vtātur.*

CÆTERVM *hanc plantam ad Spartum, quod Dioſcorides σπαρτίον vocat, referendā omnino exiſtimo.*

An verò iiſdem facultatibus præditum ſit, non intellexi.

De

Spartium II.



De Sparto autem Hiſpanico iunci folio, libro ſecundo inter gramina agemus Deo volente.

NON *fuit etiam prætermittenda hæc elegans plantula, quam ſolis Valentini regni locis incultis & aſperis obſeruaui.*

Chamæ-geniſta peregrina.

VIX *palmari magnitudine aſſurgit, admodum fruticoſa, foliis Chamelææ proximis, breuioribus, duris & carnoſis per ambitum aliquantulum ſinuoſis & criſpis, rigidiuſculisq́, vno ex altero è medio folij neruo prodeunte, quemadmodum in Chamæ-geniſta illa, quam nonnulli ſagittalem vocant, interdum verò binis ternisve ſimul exorientibus: hic verò neruus paulatim intumeſcit, & in ramulum conuertitur, quandoquidem tota plāta folioſa ſit: in extremis iſtis foliis, quini ſenive aut plures flores ſimul iuncti, ex villoſis calyculis naſcuntur geniſtæ ſimiles, ſed minores, aureo planè colore, ſed quorum bina inferiora folia incana lanugine pubeſcunt. Florentem duntaxat quo dixi loco decerpſi menſe Martio.*


De Aſpalatho altera. CAP. XLIX.

TAMETSI *ſciam hunc fruticem non eſſe legitimā Aſpalathum alteram; quoniam verò à nonnullis ſic vocatur, mutandum nomen non duxi, præſertim cùm ad quam plantam veteribus deſcriptam referri debeat, adhuc ignorem.*

Aſpalathus altera 1.

TOTA *planta cubitum non excedit, fruticoſa admodum & ramoſa, multis horrens ſpinis deorſum inflexis, firmis, acutis, in quibus enaſcuntur puſilla folia lentis magnitudine, viridia, qualia etiam (ſed teneriora) fert in nouellis ramulis, quibus ſubſunt recens nati aculei: flores in firmioribus & rigidioribus ſpinis, terni, quaterni,*

Aſpalathus altera I.



quaterni, aut plures ſimul naſcuntur, Geniſtæ ſimiles, ſed minores, colore nunc luteo, nunc palleſcente; ſemen in ſiliquis exiguum.

Aſpalathus II.

A LIVD *eius genus, interdum altiùs excreſcens, aliâs non multum ei diſſimile, niſi quod robuſtius & firmius eſt aliquantum, & flos plerumq; pallidior.*

Aſpalathus III.

TERTIVM *genus ad cubiti nonnunquam magnitudinem accedit: plerunq; tamen minor, & pedali tantùm altitudine, totum etiam tenerius: ramuli in multo plures ſpinas diuiſi, & iſtæ denuò in alias, ſic vt ſingulæ ſpinæ totidem folia Abrotoni multifida videãtur, niſi aculei obſiſterent, qui, niſi quis accuratiùs conſideret, vix animaduertuntur: ex ramulorum lateribus exigui alij vere prodeunt ramuſculi incani & hirſuti, quibus adnata ſunt folia mollia & incana lentis, ſed maiora quàm in primo genere: & in ſummis iſtis ramuſculis flores ſeni aut octoni geniſtæ aut piſi forma, ſed maiores quàm in primo, colore luteo.*

Creſcit primum cùm in Cantabris ſuperata Pyrene, tum variis aliis Hiſpaniæ locis: atq; etiam in Gallia Narbonenſi. Secundum in Caſtella veteri tantummodo obſeruaui. Tertium in Cantabris ſolùm ad radices Pyrenæorum, qua Hiſpaniam ſpectant, tertio à Victoria miliari.

PRIMVM *genus ab herbariæ rei ſtudioſis cùm Salmanticæ, tum Mompelij Aſpalathus altera dicebatur, vulgo* eulalia: *ſecundum* aulaga: *tertium Cantabris* hallada.

PRIORIS *floribus cum ſaccharo fermentatis ad firmandas & reſtaurandas vires collapſas Salmãticenſes vtuntur.*

De

De Scorpio. CAP. L.

DVO *plantarum genera quæ plurimum ad Scorpij, quem Gaza Nepam vertit, deſcriptionem accedere videntur, obſeruaui.*


PRIMVM *cubitali aut ampliore altitudine aſſurgit, multis virgis fruticoſum ex atro virentibus, ſtriatis, denſiſſimo ſpinarum vallo obſitis, quæ deinde aliis minoribus ſunt circumſeptæ: folia nulla niſi primo vere apparent, quæ breui decidunt. Flores Geniſtæ, minores, pallidi, interdum verò adeò ruſi, vt purpuraſcere videantur, præſertim ſub autumnum: ſiliquæ deinde ſuccedũt breues cylindratæ, plerunq; inanes: radix ſingularis, quæ deinde in alias tenues ſeſe ſpargit.* Scorpius 1.

Floret Maio & Iunio, & quandoq; tota æſtate: circa verò autumnum denuò floribus onuſta hæc planta conſpicitur.

ALTERVM *pedis altitudinem rarò ſuperat, totum denſiſſimis ſpinis horrens; quæ non inordinatim vt in alio naſcuntur, ſed ſeriem quandam ſeruant, & ſemper contrario inter ſe exortu binæ naſcuntur, virentes quidem, ſed languidiore colore quàm ſuperiores, neque aliæ ex aliis: ſummis ramulis inhærent bini aut terni flores ſuperiori ſimiles colore luteo, menſe Martio: quo tempore exiguas breueſq; ſiliquas vel potius ſemina erui magnitudine, multa incanaq; lanugine hirſuta deprehendi denſiſſimis ſpinis occultata, vt ex ſuperiore æſtate deciderant: adeò verò caneſcebant, vt initio aranearum telas exiſtimarem: radix ſingularis, ſed in plures deinde propagines ſparſa, dura, lignoſa.* Scorpius 2.

Primum variis Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, & Angliæ locis conſpexi, nuſquam tamen frequentius quàm incultis illis locis ſupra Burdegalam, Bayonam verſus, & in Cantabris Pyrenæorum iugorum accolis,

Scorpius II.



vbi tanta magnitudine aſſurgit, vt duorum hominum altitudinem nonnunquam æquare viderim, craſſitie verò brachium humanum.

Alterum collibus Granatæ vicinis itinere Cordubẽſi ſolummodo, nec vſquam alibi mihi conſpectum.

GALLI *primum genus* Ionc marin *appellant: Aquitani* jauge, *Hiſpanicũ nomen nullum obſeruaui.*

Alterum genus Granatenſes molino *vocant.*

QVAS *facultates Scorpius habeat nemo tradit. Solus Plinius aduerſus ſui nominis animal valere auctor eſt.*

De Erinacea. CAP. LI.

PLANE *noua, & tota elegans eſt hæc planta, dodrantalis, in orbem per terram diffuſa, multis ſpinis virentibus, ſiue aculeis horrida: flores piſi, ex cæruleo purpuraſcentes, minores, calyculis contenti hiſpidis & villoſis, planeq́ ferè incanis, bini aut terni ſemper ſimul iuncti: foliola interdum, ſed rarò producit dum floret, eaq́ perpauca, Lenticulæ ſimilia, quæ cùm breui decidant, tota planta maxima ex parte ſine foliis ſpectatur, & multiplici ſpinarum vallo Erinaceum prorſus repræſentat: radix lignoſa & magna pro plantæ proportione.* Erinacea.


Naſcitur regno Valentino, copioſè autem circa Siete aguas, ſeptimo ab vrbe Valẽtia miliari, itinere Madritiano, aſperis locis & ſecus vias. Floret Aprili, ſemen obſeruare non potui.

INCOLÆ erizo *vocant, hoc eſt, Erinaceum, quoniam erinaceum animal terreſtre aut marinum, aculeorum & ſpinarum vallo planè æmuletur: quæ adeò cauſa fuit vt illi Erinaceæ nomen inderem, donec ve-*

tuſtum aliquod ex Scriptoribus illi accommodare poſſimus.

A N verò alicuius ſit in re medica vſus, à nemine hactenus intellexi.

Erinacea.



De Traga-

De Tragacantha altera, ſiue Poterio.

CAP. LII.


TRAGACANTHÆ, *quam aliquando Maſſiliæ florentem & fructu prægnantem obſeruaui, quàm ſimillima eſt hæc planta, fruticoſa admodum, multos pedales habens ramulos, flexibiles, latè circunquaque ſeſe diffundentes, candicantes, &, dum adhuc tenelli ſunt, lanuginoſos, multis longis candicantibus ſpinis horrentes: foliorum plurimæ ſimul iunctæ alæ Lenticulæ aut Tragacanthæ proximæ, exiguæ, candidæ, lanuginoſæq; primo vere per interualla exeunt, ſapore dulci: foliis hyeme decidentibus, nerui illi medij quibus folia inhærebant, in ſpinas rigidas & acutas efformãtur & euadunt, vt eo tempore tota planta ſine foliis conſpiciatur, contra quam in Tragacantha, quæ hyeme etiam folia virentia retinet.* Poterium forte.

Iſtam neq; florentem, neq; ſemen ferentem vidi: ſed ſub ea plurimos folliculos bombycinis ſimiles, aut Hypecoi Matthioli ferè, inanes inueni, quos ab hac planta excidiſſe, & florem ex ſimilibus prodire incolæ referebant, album, non magnum: de ſemine nihil certi intelligere potui: radix lenta, longa, in multos ramos diuiſa, nigro cortice foris obducta, materie intus candida fungoſaq; & dulci, cor ipſum gummoſum quiddam & ſubdulce refert.

Naſcitur plurima circa Guadix & la Venta el Peral, in collibus, arido & inutili ſolo, nullo alio loco mihi conſpecta.

NOMEN *vulgare non intellexi. Sed cùm adeò ſit Tragacanthæ ſimilis, facilè mihi perſuaderem eſſe legitimum* ποτήριον, *quod ab Ionibus* νευράδα *vocari Dioſcorides ait, largè fruticare, ſpinis horrere, lanugine*

Poterium forte.



ſpiſſa eſſe, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, Tragacanthæ proximis, naſciq́ in aquoſis & collibus tradit: & radicem eius reciſam proximè terram, ſuccum gummi ſimilem reddere.

N i s i *fortè ea ſit quam Strabo circa nouam Carthaginem eſſe ſcribit, de cuius cortice telæ pulcerrimæ conficiantur.*

B e l l o n i v s *lib. 1. obſeruat. cap. 17. duo Tragacanthæ genera obſeruaſſe ait in Cretenſium mõtium verticibus: fortè hanc plantã pro ſecundo genere accipit.*

N o n *me fallit à pleriſq́ aliis Poterij nomine plantam proponi planè ab hac differentem, quippe quæ tota ſit tenella, foliis pimpinellæ (quam nonnulli Sanguiſorbam appellare malunt) minoribus & tenerioribus, ſpinis mollibus & hinc inde per ſupremos ſurculos conuerſis (cuius rei cauſa à nonnullis Pimpinella ſpinoſa vocatur) ſemine rufo. Sed hæc mihi longè aptius ad deſcriptionem conuenire videtur.* Pimpinella ſpinoſa.

D i o s c o r i d e s *autem Poterij radices tuſas præciſis neruis & vulneribus glutinãdis illini teſtis eſt: decoctum quoq́ eius, neruorum affectibus prodeſſe.*

C o g i t a b a m ſubſequentia quatuor capita, quoniam de iis plantis agunt, quæ ſine aliarum adminiculo conſiſtere nequeunt, quáſque Græci ἀλλοκαύλους appellant, ad huius libri calcem reiicere. Cùm verò primæ ex illis ſpinoſæ ſint, & iam de ſpinoſis ſuffruticibus egerimus: ordo magis poſtulare videtur, vt eas hoc loco reponamus. Poſteà de odoratis ſuffruticibus & iis congeneribus acturi, quorum claſſis proximè ad ſecundum librum (quem à coronariis auſpicabimur) accedere debet.

De Smilace aſpera.

CAP. LIII.

SMILACIS *aſperæ duo inueniuntur genera: vnum frequentibus ſpinis horridum, fructu rubro: alterũ paucis aculeis armatum, fructu nigro.*

Smilax fructu rutilo.

PRIOR *Smilax longis, frequentibus, admodum implicatis ſarmentis, & nunc in hanc, modò in alteram partem, certo quodam ordine ſeruato, ſeſe inflectẽtibus, lentis, & multis ſpinis horrentibus naſcitur; & ex ſingularum alarum ſinu capreolos producit, quibus proximos quoſq; frutices & arbores amplectendo, ab imis ad ſumma repit: folia ad ſingulos inflexus hederæ, ſed non anguloſa, à pediculo latiora, deinde ſenſim in mucronẽ deſinentia, modò ampla & admodum viridia, interdum anguſtiora & albis maculis diſtincta, ſpinoſa cute, vt inquit Plinius, hoc eſt, neruo illo eminentiore, & foliorum oris aculeatis & ſpinoſis: flores exigui, ſtellati, ſex foliolis conſtantes, multi, ad ſingulos extremorum ramulorum inflexus (qui multiplices ſunt) coniunctim de eodem tuberculo, ſeu, vt Theophraſtus ait, puncto exeunt, candidi, odorati, racemi in modum propendẽtes: fructus deinde exiguis vuis Labruſcæ ſimilis per maturitatem rutilus, nucleos tres, binos, vnicum, pro acinorum magnitudine continens, duros & oſſeos vti Aſparagi, foris nigros: radix longè lateq; ſerpentes ſub terra fibras habet minimi interdum digiti craſſitie, nodoſas ſeu articulatas, candidas.*

Smilax aſpera fructu nigro.

ALTERA *ſimilibus cum priore ſarmentis, tum clauiculis proxima quæq; amplectentibus naſcitur: non tamen adeò ſpinis horret: folia etiam paulò breuiora, plerunque ampliora & molliora, nulliſq; aut quàm rariſſimis aculeis obſita: flos alteri per omnia ſimilis, ſed fructus*

Smilax aſpera fructu rutilo.



fructus diſſimilis. Etenim qui in priore rutilus eſt, in hac omnino niger conſpicitur, & magis, vt mihi quidē videtur, ſucculentus: oſſicula conueniunt.

Floret vtraq; vere, ſed etiam autumno cum ipſo fructu maturo Octobri & Nouembri florentes plerunque inueni.

Creſcit prior variis Hiſpaniæ locis ſolo aſpero & arido, præterea etiam in Gallia Narbonenſi, rarò admodum in Luſitania. Altera Bæticæ extrema parte qua Luſitaniæ contermina eſt, & pleriſq; Luſitaniæ locis circa ſepes & collium conuexa.

Σμίλαξ τραχεῖα *Dioſcoridi appellatur,* σμίλαξ *ſimpliciter Theophraſto. Gaza Hederam Ciliciam vertit, quòd Plinius lib. 16. cap. 35. ſcribat Smilacem Hederæ ſimilem primùm è Cilicia profectam.*

Hiſpani priorem çarça-parilla, *hoc eſt Rubi-viticulam appellant. Secundam Bæticæ extremæ incolæ* vua de perro, *quaſi dicas Vuam caninam. Luſitani contermini* recama, *Vlyſſipponenſi agro* allega-caon *nominant.*

CÆTERVM *Dioſcorides ait folia & acinos, antè & pòſt epotos, venenorum antidota eſſe: & infantibus, acinorum inquit Plinius, ſucco ſæpius inſtillato, nulla venena poſteà nocitura.*

Nonnullos eius radice Carçæ-parillæ Americæ loco vti, nec ſine ſucceſſu, mihi in Hiſpaniis referebant.

De Rubo Idæo Valentino.

CAP. LIIII.

Rubus idæ^o Valentinus.

RVBI *Idæi genus mihi oſtendebat clariſs. vir Joannes Plaça profeſſor Valentinus, eodem cœnobio quo Perſeam ſuperiùs deſcriptam, primo ab vrbe Valentia miliari,*

liari, ſine ſpinis, foliis rubi mollioribus, quem dicebat Rubo vulgari fructum minorem habere: alioqui illi admodum ſimilem, ſarmentis longis per terram ſparſis.

Anſam fortè præbuit Plaçæ, vt hanc plantam Rubum idæum æſtimaret, Dioſcoridis codex Latinus, qui capite de Rubo idæo hæc verba, quanquam & ſine ſpinis inueniatur, *addita habet, quæ tamen in Græco exemplari non conſpiciuntur.*

De Clematide altera Bætica.

CAP. LV.

PEREGRINVM *eſt hoc Clematidis genus, & à nemine, quod ſciam, hactenus obſeruatum. Sarmenta longa, lenta, & ramoſa habet, binos per interualla capreolos contrariis ſemper inter ſe pediculis naſcẽtes proferentia, quibus per vicinas arbores & frutices ſcandit: folia pyri ferè, minora, dura, viridia, & per ambitum inciſa ſiue ſerrata, ſapore acri & feruido, ſingula in ſingulis pediculis, ſed plurima ſimul ex clauicularum alis prodeuntia: inter quæ ex vtroq; ſarmentorum latere pediculi prodeunt calyculum ſuſtinentes vt in Tithymalis, ex cuius medio exilit capitulum ex multis ſeminibus milio ſimilibus congeſtum, quibus inſident oblongi cincinni, villoſæq; veluti plumulæ albæ.* Clematis altera Bætica.

Hanc primùm inueni inter Aſindum (vulgò Medina Sidonia) & Calpen ſecundum fluenta, vicinas arbuſculas operiens & pondere ſuo deprimẽs: deinde aliis Bæticæ locis Ianuario iam ſuos cincinnos explicantem.

Non dubium eſt quin ad κλεματίδα, *cuius Dioſcorides libro 4. meminit, referenda ſit hæc planta, quandoquidem illi admodum ſit ſimilis, cùm forma, tum temperamento.*

CLEMA-

Clematis altera Bætica.



Clematidis verò ſemen tritum, pituitam bi-
lemq́; detrahere in aqua aut hydromelite, folia eius il-
lita lepras purgare, Dioſcorides auctor eſt.

De Apocyno. CAP. LVI.

Plantarvm quæ ad Apocyni hiſtoriam ve-
teribus traditam plurimum accedere videntur, tria ob-
ſeruaui genera: quibus & quartum addi poterit.

Primi ſtipes pollicari eſt craſſitie, breui, cortice cinereo tecto, in plures alas diuiſo, ſiue tenues ramos, qui licet lenti & obſequioſi ſint, non tamen vicinis fruticibus ſeſe aduoluunt aut implicant, ſed per ſe ſubſiſtunt nullo auxilio egentes: folia ſemper inter ſe oppoſita gemina, ad ſingulos ramorum nodos naſcuntur, hederacea figura, molliora tamen, quamuis ſatis carnoſa, quibus fractis ſuccus emanat ex albo palleſcens: flos puſillus, candidus Aſclepiadi non abſimilis, ex alarum ſinu vmbellatim quaſi prodit. Fructum non obſeruaui, ſed Aſclepiadi ferè ſimilem intellexi. Semen certè quod ad me aliquando hoc nomine miſſum fuit, Aſclepiadi ſimile erat, planum, in medio aliquantulum plenius, nigrum, medulla intus alba, quod, licet terræ commiſſum, natum tamen non eſt. Sed plantam ipſam radice ſatis craſſa, pingui & ſuccoſa, atq; fragili, aliquando accepimus à clariſs. piæ memoriæ viro Alphonſo Pancio, illuſtriſs. Ducis Ferrariæ medico, & academiæ Ferrarienſis profeſſore. Apocynũ I.

Alterum amplexicaule eſt, vicinis pedamẽtis ſe conuoluens, multis ſarmentis longiſſimis, quibus etiam præaltarum arborum (ſi vicinas nanciſci poſſit) acumina interdum ſuperat: ſunt verò ea ſarmenta dura, lignoſa, lenta, & fractu inuicta, colore rutilante, Apocynon II.

multis

multis nodis ſeu geniculis diſtincta: in quibus ſemper bina folia contrariis inter ſe pediculis prodeunt, dura, ſuperiore nigriora, multò longiora, & mucronata, plurimis venis tranſuerſim ex medio neruo prodeuntibus inſignita, quemadmodum Nerij folia, non tamen adeò anguſta neq; dura, lacteo ſucco plena. Flores extremis ramulis collateralibus inſident quaterni aut quini, Aſclepiadi nigræ ſimiles, maiores tamen multò, colore nigro tendente ad purpureum, cui nonnihil viroris admixtum eſt, qualis ferè color in Ariſtolochiæ rotundæ prioris, & Polyrrhizi flore nigro conſpicitur. His deinde ſuccedunt oblongæ & toroſæ ſiliquæ Rhododendri ſiliquis ſimiles, geminatæ vt plurimum, & extrorſum aliquantulũ inflexæ, deinde mucrone rurſus coaleſcentes (quod Plinius per verba diuiſo & acuminato intelligere videtur) quibus dehiſcentibus, ſemen inuenitur priori ſimile, ſed maius & plenius, multa lanugine quemadmodum in Aſclepiade inuolutum: radix longa, ſarmẽtoſa, lateq; ſeſe ſpargens, & ſubinde germinãs.

2. *Huius genus per omnia ferè ſimile inuenitur: tenuioribus tamen ramis, & foliis multò anguſtioribus oblongisq;, non minus autem viridibus & neruoſis.*

Spontè hoc genus naſci non vidi, quemadmodum neque primum, ſed in hortis aluimus, ſemine nobis ex Italia miſſo natum.

Perennat hoc vtrumq; genus, deciduis foliis, & floret apud nos admodum ſerò: vt fructus maturari non poſſit, quemadmodum neq; Rhododendri.

Apocynon III. TERTIVM *longis, tenuibusq; & copioſis ſarmentis proxima quæq; conſcendit multiplici circunuolutione & nexu illa amplectens, viridibus, geniculatis, foliis hederæ mollibus, ſed cinerei coloris, & lacteo ſucco (quemadmodum & ſarmenta) adeò turgidis, vt ve*

leuiſſim


leuiſſimo vulnere, non minus copioſè, quàm ex Tithymalorum genere proſiliat. Flores ex alarum ſinu multi quaſi vmbellatim prodeunt, candidi, parui, quinque foliis non ſecus atque Aſclepiadis conſtantes: deinde ſiliquæ illi etiam ſimiles multo tomento & lanugine plenæ, qua ſemen occulitur planum, ex cinereo nigricans, Aſclepiadi perſimile. Moleſtiſſimæ ſunt huius radices ſarmentoſæ & fibroſæ admodum, eadem ferè perpetuo craſſitie longiſſimè hac illac ſerpentes, & latè vicina circum loca occupantes, & ſubinde germinantes, candidæ & fragiles, adeoque viuaces, vt ſi vel minima fibra ſub terra latuerit, ea proximo vere germinare, & vicina loca occupare conſpiciatur. Itaque non minus exoſa rei herbariæ ſtudioſis, quàm Ariſtolochiæ clematidis genus id, quod Sarracenicam vulgò cognominant. Huius cauliculi & ſarmenta hyeme pereunt, & nouo vere rurſus germinant.

Iſtius ſiliquæ ſemine plenæ ante aliquot annos ex Hiſpania reduci miſſæ fuerunt cum aliis pleriſque ſeminibus & aliquot plantis, Pincia vſque, ab optimo viro Ioanne de Ioigni, Hiſpanica inſcriptione, que trepa por los arboles, *hoc eſt, per arbores repentis: poſteà radicibus adeò multiplicata eſt, vt nemo ſit toto Belgio rei herbariæ ſtudioſus, qui eã ex ſuo horto exemptam non velit.*

CÆTERVM *in regni Valentini maritimis (vti olim in Gallia Narbonenſi, littore illo inter Volcarum ſtagnum & mare) Conuoluoli genus inueni locis herboſis, huic proximè deſcripto non multum abſimile, cùm ſarmentoſis ramulis, tum flore, tum radice: folia etiam ferè ſimilia, ſed magis orbiculata, in mucronem tamen deſinentia, cinereo colore. Tota etiam planta lacteo ſucco prægnans: cuius ſemen non obſeruaui. Eius, qualẽ* Scammonea Valentina & Mõpeliana.

P florentem

Scammonea Valentina.



florentem iſtic collegi, iconem ſubiicere oculis libuit, ſine radice tamen.

Prioris & ſecundi doctiſſimus Matthiolus commentariis in Dioſcoridem: tertij & etiam ſecundi clariſs. Dodonæus libro de Purgantiũ hiſtoria icones exhibet.

AD *veterum porrò Apocynon,* ἀπόκυνον, *quam &* κυνοκράμβην *Dioſcorides à nonnullis appellari ait (differentem tamen à Cynocrambe, de qua peculiari capite poſteà agit) referendæ hæ plantæ videntur: ſed primum etiam maximè. Sunt qui Periplocadas, nomine omnibus Amplexicaulium generibus communi, appellent. Quartum genus, cùm Valentinis, tum Mompelianis Scammonea dicebatur.*

PLINIVS *Apocyni ſemine ex aqua dato pleureticos & omnes lateris dolores ſanari tradit lib. 24. cap. 11. perniciosum autem eſſe hunc fruticem canibus & omnibus quadrupedibus, in cibo datum, cùm ipſe, tum Dioſcorides ſcriptum reliquêre.*

NVNC ſupereſt, de iis ſuffruticibus agamus, qui ab odore commendantur, & quorum maxima pars in coronas etiam venit.

De Arthemiſia. CAP. LVII.

DVAS *plantas fruticantes in Hiſpaniis obſeruaui, quæ Arthemiſiæ generibus adnumerandæ videntur.*

VNA *pedis altitudine aut altius fruticat, ramoſa admodum, cui folia ſunt Abrotoni ex viridi candicantia, amara; flores in ſummis ramis Arthemiſiæ modo congeſti, & dependentes; radix lignoſa in plures alas diuiſa. Tota planta odora eſt.* Atthemiſia tenuifolia 1.

ALTERA *maior eſt, folia tamen non admodum diſſimilia,* Arthemiſia tenuifolia 2.

diſſimilia, licet viridiora & ingrati tum odoris tum ſaporis: flores in oblongis & tenuibus ramis Arthemiſiæ ſimiles, & pari modo congeſti, ſed minores: radix etiam lignoſa & in plures ramos expanſa.

Priorem nuſquam vidi quàm nonnullis Bæticæ locis, & Granatenſi Murcianoq́ regnis, locis decliuibus, interdum iuxta fluenta, nonnunquam etiam ſecundum vias.

Altera nuſquam non occurrit, locis aridis & incultis per vniuerſam Hiſpaniam, Luſitaniã & Galliã.

Floret vtraq & ſubinde ſemen profert Iunio, Iulio, & Auguſto.

PRIOR *Granatenſibus Abrotoni nomine donata eſt, nonnulli* boza *vulgari nomine dicunt. Fortè ad Tenuifoliam referenda.*

Ambroſia. SECVNDAM *Salmanticenſes Ambroſiam vocabant, cum qua tamen nullo modo conuenit. Mompeliani Arthemiſiam tenuifoliam nuncupare ſolebant. Sed ſi qua ex his hoc nomine donanda eſt: prior, vt dixi, deſcriptioni magis conformis eſt.*

DIOSCORIDES *ſcribit Arthemiſiam tenuifoliam cum amygdalino oleo contuſam in malagmatis lentorem, & ſtomacho laboranti impoſitam, ſanitati reſtituere, neruorum quoq cruciatibus ſuccum eius cum oleo roſaceo vtiliter illini.*

De Teucrio Bætico. CAP. LVIII.

Teucrium Bæticum. HVMANA *altitudine licet interdum aſſurgat hic frutex, plerunq tamen humilius eſt, vnico ſtolone minimi digiti craſſitie, cortice candicante obducto, ramis non admodum frequentibus diuiſo, qui ordine quodam digeſti ſunt, ſic, vt bini perpetuò ſint inuicem oppoſiti,*

incani:

Teucrium Bæticum.



incani: folia vulgaris Teucrij ferè, maiora, per ambitũ nonnihil ſinuoſa (quod pictor malè expreſſit) prona parte omnino incana, ſupina verò ex atro virentia, guſtu perquàm amaro: flos candidus labris infernè prominentibus, nulla galea ſuperius imminente, aliquot oblongis ſtaminibus ſeu villis ex medio flore exilientibus. Perpetuò viret.

Montibus Calpe vicinis, & Bæticæ maritimis in ſepibus, & inter frutices alios inueni: tum etiam Gadibus, ea parte qua nunc inſula continenti eſt coniuncta, ponte admirabili, ſed humilius quàm commemoratis locis. Floret Februario.

Pæderos Pauſaniæ. PAVSANIAS *in Corinthiacis meminit Pæderotis herbæ, cuius folia in ignem coniici, & cum coccis in ſacrificiis adoleri refert: eius folia minora quàm Fagi, maiora quàm Ilicis eſſe, figuram illis ineſſe querni folij, atque altera parte nigricans, altera album, cuius color foliis Populi rectè comparari poſſit.*

Iudicent ſtudioſi an hæc, quam propono, planta ad Pauſaniæ Pæderota referri poſſit.

De Abrotono femina Salmanticenſi.

CAP. LIX.

HOC *Abrotonum diuerſum eſt ab eo quod vulgò ab herbariis Abrotoni feminæ nomine circumfertur, quodq́ Santolinam appellant: tametſi florum forma cum illis conueniant. Illius autẽ duo obſeruaui genera.*

Abrot. fem. Salmant. 1. *1.* VNVM *multis à ceſpite prodeuntibus ramis conſtat, candicantibus, pedalibus, tenuibus, quos numeroſa ambiunt folia exilia Roriſmarini coronariæ, ſed minora & anguſtiora, quæ cùm nouella ſunt candicant, & in his nulla ferè inciſurarũ veſtigia apparent: adulta*

verò,

verò, viridiora, longiora, & quaſi minutis inciſuris diſtincta, multum tamen à Santolinæ foliis diuerſa, guſtu amaro, & odore iucundo. Virgulas è ſingulis ramis profert multas palmares, raris foliolis ſeptas, atque in ſummo vertice capitula floremq́; Santolinæ ſimilem, luteum & ampliorem multò: omnino areſcunt hæ virgulæ maturo ſemine: radix eſt lignoſa.

2. Illius altera ſpecies inuenitur tum flore, tum foliis, deniq; tota facie ſimilis: ſed per omnia minor & gracilior: quod natalibus tribuendum non eſt, quandoquidē iuxta naſcentes plantas inuenerim, neq; etiam ætati, quoniam vtraq; ſpecies ex ſeminibus natali loco ſeiunctim collectis & repoſitis, & mecum delatis, mihi nata eſt, magnitudine & exilitate vna ab altera non minus, quàm natali ſolo diſcreta.

ALIVD *prioris generis ſecundæ ſpeciei magnitudine par eſt, interdum etiam paulò maior: ramuli non vt in altero candicantes, ſed virides: folia etiam viridia & longiora tenuioraq́;, non minus quidem amara quàm illa, ſed odore minus iucundo: flos palleſcens, virgæ quæ florem ſuſtinent tenues, maturo ſemine etiam areſcunt vt in ſuperiore: radix ſuperiore magis fibroſa.* Abrot fem. Salmant. II.

Naſcuntur Salmanticenſi agro, montibus Segobiæ vicinis, quos el puerto de Guadaramá *vocant, aliisq; aſperis & ſalebroſis locis. Florent Maio & Iunio, ſemen matureſcit Iulio. Perpetuo autem omnes ſunt folio.*

SALMANTICENSES *vocant Abrotonum feminam, vernacula autem lingua vulgus tota Caſtella veteri* tomillo perruno, *hoc eſt, Thymum caninum nominat.*

EIVS *decoctum iſtic aiunt vtiliter propinari ad ſcabiem profligandam.*

De Stœchade. CAP. LX.

Stœchas I. *Brevem ſtipitem habet Stœchas, ramos autem cubitales, fruticoſos, duros, lignoſos, ſemper ex aduerſo naſcentes, quos ſtipant numeroſa folia, incana Lauendulæ modo, ſed anguſtiora & minora, amara & calida: extremi rami in quadrangulas virgulas deſinunt, nudas, quæ capitula ſuſtinent oblonga, & anguſta, interdum breuiora & craſſiora, multis veluti ſquammis compacta, è quibus minuti prominent flores, Lauendulæ ferè, ſed colore ſaturatiore; ſummis capitulis eminent veluti membraneæ quædam ligulæ colore cæruleo aut purpureo, interdum admodum longæ, ſæpiſſimè breuiores, præſertim in Hiſpaniis: ſemen per maturitatem læue, exiguum, ſubnigrum, quale ferè Lauendulæ: radix lignoſa & multifida.*

Stœchas II *Genvs alterum Stœchadis obſeruaui admodum rarum, quod eadem cum ſuperiore aſſurgit altitudine, ramis fragilibus & lignoſis, tenuibus, quadrangulis: foliis etiam oblongis, anguſtis, omnino ſerratis & criſpis; parte ſuperna virentibus, inferna verò candidis, guſtu calido & amaro: deſinunt quoq; eius ramuli extremi in virgulas dodrantales, nudas, quadrangulas, incanas, quæ ſpicam ſuſtinent Stœchade longiorem & rariorem, ad Lauendulæ, ſpicæ cognominatæ, propemodum accedentem, è multis etiam veluti membraneis ſquammis congeſtam, cum eminentibus in ſummo quibuſdam latiuſculis foliolis ex purpura cæruleis, vti in ſuperiore: flores ex ſingularum ſquammularum ſinu copioſi, purpurei vt in alia: ſemen etiam ſimile, quemadmodum & radix.*

Creſcit Stœchas plurimis Hiſpaniæ, Luſitaniæ, & Galliæ Narbonenſis locis. Floret Aprili & Maio, nonnunquam etiam autumno.

Secundum

Stœchas II.



Secundum verò genus non niſi in ſumma Calpe floribus onuſtum Februario inueni, ſpontè naſcens, cum plurimis elegantibus plantis, tribus antè menſibus primùm mihi conſpectum Scintræ in arcis Regiæ hortulo, quatuor ſupra Vlyſſipponem leucis, floribus & ſemine onuſtum.

Στίχας & ςοίχας *Græcis dicitur, Latinis Stœchas, Hiſpanis* cantueſſo, *Salmanticenſibus qui ſunt in meditullio ferè Hiſpaniæ, apud quos abundantiſſimè naſcitur locis incultis, peculiariter* tomillo.

Secundo generi, folij ſerrati cognomen addi poterit, ad prioris differentiam, Luſitani alichrin francés, *hoc eſt Rorem marinum Gallicum vocabant: nam pleraq; peregrina Francici vocabulo deſignare ſolent, non minus quàm Germani ſuo* Welſcher.

HVIVS *facultates non intellexi: verùm cùm eiuſdem cum priore ſit temperamenti, ſimiles etiam facultates obtinere veriſimile eſt.*

ILLIVS *verò decoctum hyſſopi modo ad pectoris vitia efficax eſſe Dioſcorides teſtatur, antidotis miſceri, viſcera omnia ab obſtructionibus & farctu liberare. Addunt recentiores, eius flores aduerſus capitis dolores, & omnes eius ex frigida cauſa morbos, valde vtiles eſſe.*

De Lauendula multifido folio.

CAP. LXI.

PRÆTER *Lauendulas vulgares, quarum vna breuiore eſt folio & ſpica: altera verò longiora habet folia, longioremq; etiam ſpicam & inflexam, florem nunc cæruleum ſiue purpureum ferentem, modò etiam album. Inuenitur aliud genus rarum admodum et planè nouũ.*

Lauendula multifido folio.

CVBITALI *interdũ altitudine aſſurgit, ramulis quadran-*

Lauendula multifido folio.



quadrangulis & hirſutis, quos multifida tenuitérque inciſa ambiunt folia, lanuginoſa, cinereiq́ coloris, guſtu acri, & odore iucundo: flores in ſummis virgulis quadrangulis, nudis & lanuginoſis, ſpicatim vt in Lauendula congeſti, colore cæruleo, odorati: ſpica autem aliquantulum contorta eſt, & in quatuor veluti verſus aut ordines digeſta, alia interdum ex alia naſcens: radix dura, lignoſa, & multifida.

Primùm eam naſcentem inueni colle quodam Malacæ vicino Februario menſe florentem, deinde circa Murciam Martio: nec alibi præterea.

S E D *neq; huius facultates ſunt mihi compertæ. Cùm verò eius odor multò mitior ſit, neq; ita caput feriens, vti Lauendulæ præſertim cui peculiare nomen Spicæ: credibile eſt eius potentiam & vires non eſſe eodem gradu caloris, quo illa eſt.*

De Thymo. CAP. LXII.

Thymum legitimum.

T H Y M V M *ſuffrutex eſt pedem interdum altus, multis ramulis lignoſis & tenuibus cãdidisq́ præditus, quos per interualla ambiunt folia ſibi inuicem oppoſita, anguſta, tenuia, candicantia, acris guſtus, quæ quibuſdam locis hyeme decidunt: nam quotquot locis ſpontè naſcentem hanc plantam inueni hyeme aut veris initio, foliis viduam conſpexi: ſed vtrinque ab exortu & veſtigiis foliorum prominebant veluti capitula oblonga, inſtar capitulorum Origani Onitis ex tenellis foliolis viridibus congeſtorum adeò confertis & numeroſis, vt vnicum folium oblongum videretur. ipſa capitula cum floribus, quoniam deciderant, obſeruare non potui, ſed illorum duntaxat veſtigia ſummis virgis ſeu ramulis conſpexi in omnibus plantis. Hiſpali autem vbi maximus*

ximus eſt eius prouentus (nam aliud Thymum non norunt) magni eius iam reſiccati faſciculi demonſtrati ſunt cum ſuis foliis & oblongiuſculis capitulis & floribus purpuraſcentibus; gratiſſimi odoris: Etenim eo in aqua decocto vtuntur ad dolia quibus vinum aſſeruatur abluenda, & repurganda, tum etiam ea vaſa quibus oliuæ condiri & aſſeruari ſolent, odoris conciliandi gratia.

Non modò autem circa Hiſpalim copioſè naſcitur, ſed Gadibus etiam, qua parte continenti inſula ponte iungitur, & tota etiam Bætica in maritimis collibus meridiei obuerſis.

THYMVM *verò vulgare, quod nonnulli Durius cognominant, quoq; Plinio etiam teſte lib. 21. cap. 10. lapidei campi in Prouincia Narbonenſi referti ſunt; tum Mediterraneis Hiſpaniæ, quemadmodum Salmanticenſi agro, tum aliis locis ſpontè naſcitur gracili & ſalebroſo ſolo, nunc purpureo, nunc albicante flore.* Thymum durius ſiue Plinij.

PRIMVM *Dioſcoridi* θύμος *eſt, Latinorum etiã Thymus aut Thymum, Bæticis* tomillo *ſimpliciter, mediterraneis Hiſpaniæ ignotum, atq; etiam Galliæ.*

Alterum Plinij Thymum eſſe videtur, quódque Dioſcorides cap. de Epithymo Durius appellat: nam in hoc cùm in Hiſpaniis, tum in Gallia Narbonenſi, cuſcutam illam delicatulam rubris filis copioſè naſcentem, & illi ſe implicantem collegi. Caſtellani hoc Thymum tomillo ſalſero, *aut* ſalſero *ſimpliciter appellant.*

THYMVM *autem Dioſcoride teſte cum aceto & ſale pituitam per aluum detrahit: eius decocti ius prodeſt orthopnoicis, & anhelatoribus, tineas ventris exigit, menſes, partus, & ſecundas pellit, & vrinas ciet: cum melle in eclegmate faciles facit exſcreationes: recentes tumores diſcutit, cum aceto illitum: concretum ſanguinem diſſoluit, &c.*

De

De Serpyllo ſilueſtri Zygi.

CAP. LXIII.

SERPYLLI *duo genera veteres fecerunt, Satiuum & Silueſtre.*

Satiuum à ſerpendo dici Dioſcorides tradit: ſilueſtre verò non ſerpere, ſed in altum creſcere. Plinius cõtrà lib. 20. cap. 22. Silueſtre ſerpere ait: Satiuum non ſerpere, ſed ad palmi altitudinem increſcere.

Serpyllum Zygis. SERPYLLVM *ſilueſtre Zygis appellatum, quale Dioſcorides deſcribit, mihi obſeruaſſe videor in Caſtella veteri, iiſdem locis cum Thymo duriore, cui perquã ſimile eſt, tum ramis, tum figura, tum altitudine, tum radice: folia verò paulò latiora habet quàm Thymum, minus odorata, & grauius nonnihil olentia, odore ferè inter Abrotonum & Stœchaden: in ramulis item virgulas quæ floribus verticillatim naſcentibus veſtiũtur, colore ex albo purpuraſcente: qua florum diſpoſitione & odore à Thymo diſcerni duntaxat ferè poteſt. Non eſt præterea tãta acrimonia præditum quemadmodum Thymum, ſed aliquid adſtrictionis admiſtum habet. Floret cum Thymo duriore, & perpetuò etiam viret.*

DIOSCORIDI ἕρπυλλος ἄγριος *& ζυγὶς vocatur, ſatiuo efficacius atque magis excalfaciens, & ad medendi vſum aptius.*

De Tragorigano. CAP. LXIIII.

TRAGORIGANI *duo genera ſtatuit Dioſcorides, quibus perſimiles duas plantas vidiſſe memini.*

Tragoriganum 1. VNAM *pedis aut ſeſquipedis altitudine fruticantem, multis tenuibus, & lignoſis ſurculis, & circum illos folia minora quàm in Majorana, mediæ inter Origanum*

ganum & Serpyllum ſilueſtre magnitudinis, incana omnino, odoris iucundi, & guſtu acri: flores verticillatim extremos ſurculos ambiunt candidi, exigui: ſemen minutum, nigrum, calyculis ſuis occultatum: floret cum Thymo & Stœchade. Tota odorata eſt & perpetua coma.

I. ALIAM ſurculis minoribus cãdidioribusq́; foliis tenuioribus & longioribus, aliquantulum incanis, acri guſtu, ſed odore minus iucũdo quàm prior: flores etiam verticillatim circa ſummos ramulos naſcuntur ex calyculis prodeuntes, maiores aliis & aliquo modo galeati, candidi: ſemen non obſeruaui: radix alteri ſimilis, lignoſa, dura, multifida. Tragoriganum II.

. Eius genus neque forma, neq; magnitudine differens inuenitur, ſed ſurculis nigrioribus, foliis hiſpidioribus & atrioribus, & flore purpureo. Vtraque perpetuò virens.


Prior multis Hiſpaniæ locis prouenit ſolo arido & petroſo cum Stœchade permiſta. Alterius vtramq; ſpeciem ſolo Valentino agro obſeruaui Martio florentem, & ſpontè naſcẽtem. Quæ verò flore eſt purpureo etiam in hortis Belgicis conſpecta.

Τραγορίγανος Græcis vtrumq; genus dicitur; ſecundum etiam πράσιον à nonnullis. Vtrumque Latinis Tragoriganum. Caſtellani primum ſarilla vocant: quo verò nomine alterum vulgò appelletur non intellexi.

TRAGORIGANVM autem excalfacere, vrinam ciere, menſes trahere, decocto poto bilem eiicere, ...noſis ex aceto bibi, & contra ixiæ venena ex vino ...ripneumonicis, tuſſientibus, ex melle in eclegmate ...riſcribit Dioſcorides. Gratam ac mitem eſſe eius po...nem: quare cibum faſtidientibus, & ſtomacho acida

ructanti

Tragoriganum II.



ructanti imbecilloq́; tradi: tumores cum polenta illitum diſcutere.

De Polio. CAP. LXV.

POLII *plura genera, quàm veteres tradiderunt, nunc inueniuntur, ſurculorum firmitate, foliorum amplitudine, & eorundem florumq́; colore inter ſe differentia.*

VNVM, *palmeos ex eadem radice lignoſa & dura profert cauliculos, aut ampliores, in multas alas diuiſos, humi ſparſos, quos diſpoſito ordine & ex aduerſo ſemper tenera ambiunt folia, oblongiuſcula, anguſta, oris in pronam partem reflexis, & leuiter denticulatis, incanis: è quorum exortu alia numeroſa prodeunt foliola magis tenella & incana. Summis ramis capitula habet ex multis calyculis incanis & tomentoſis congeſta, vnde flos albus prodit: ſemen per maturitatem nigricãs, ſubrotundum, ſatis magnum pro plantæ teneritate. Tota planta ſuauiter olet cum grauitate quadam non iniucunda. Februario & Martio florentem inueni.* Polium I.

ALTERVM *multis fruticat ramulis, firmioribus ſuperiore, neq; humi diffuſis, ſed erectis, rotundis, incanis, palmaribus & plerunq; amplioribus: folia ſuperiore anguſtiora, numeroſiora, ex interuallis ramulos ambientia, quæ extrema duntaxat parte dẽticulata ſunt, incana ea quidem, ſed minus quàm primi: capitula in ſummis ramis maiora, oblongiora, non adeò tamẽ compacta, ſed laxiora, in quibus flos etiam albus: ſemen priori ſimile. Non minus odora hæc eſt, quàm prior. Menſe Aprili floret, interdum etiam Maio.* Polium II.

TERTIVM *genus medium eſt inter primum & ſecundum, non adeò fruticoſum, neq; tam firmis ramulis vti ſecundum, neq; etiam adeò infirmis vti primum,* Polium III.

quoniam partim procumbẽtes eos habet, partim etiam erectos, omnino incanos, magis etiam quam primum: folia item vtroq; ampliora, & omnino candida: tenelli tamen rami cùm capitula ſua iam producere incipiunt cum ipſis foliis flaueſcente lanugine obducuntur, quemadmodum & integra oblonga capitula: quæ tandem luteum florem proferunt: ſemen aliis ſimile. Hoc etiam Martio floret.

Poliũ IIII. Q V A R T V M *omnino tenellum eſt, ramulis exilibus, dodrantalibus, humi diffuſis, multa lanugine candida tectis, qui ſubinde ad nodos radices agunt: folia mediæ inter primum & ſecundum magnitudinis, breuiora tamen, denticulata, admodum tomentoſa, quæ adeò cauſa eſt vt in tenellis foliis nulli denticuli conſpiciantur, niſi diligenter obſeruentur: capitula ſuperioribus paulò minora, totaq; tomentoſa, in quibus flos purpureus. Eius iconem nos hîc exhibemus.*

Polium V. Q V I N T V M *genus à quarto ſolummodo differt, quòd tenerius ſit eo, & flores albos proferat. Vtrumque hoc genus nihil ferè niſi tomentum ſunt, & odoris ſuauitate reliqua genera ſuperant. Cum flore vtrumque menſe Martio repperi.*

Polium VI. S E X T V M *omnium minimum, digitalem longitudinem vix ſuperans, exilibus ramuſculis: foliis durioribus, candicantibus, paruis, anguſtis, non inciſis aut denticulatis: ramulis inſident terni aut quaterni flores albi: radix fibroſa. Tota plãta nulla odoris gratia commendabilis eſt. Floret hæc ſerius Iunio, vt ferè omnia quæ frigidioribus regionibus naſcuntur.*

Primum naſcitur in maritimis Bæticæ, Valentiniq; regni, & Galliæ Narbonenſis. Alterum non niſi in mediterraneis Hiſpaniæ obſeruaui, ſolo exili & petroſo naſcens in collibus. Tertium regno Granatenſi & Valentino.

5 Polium IIII.



Valentino. Quartum & quintum non niſi Murciano regno, inter Lorca & Velez el rubio ſolo arenoſo. Sextum in collibus ad Lacum Lemanum ſitis, & Meridiei obuerſis.

PLANTA *hæc Græcis* πόλιον, *Latinis Polium appellatur. Primũ genus ad Dioſcoridis montanũ, quod ipſe* ὀρεινὸν *&* πύθειον *vocat, referri poſſe videtur: hoc Bætici* oſſuna *appellant. Alterum ad eius ſecundum genus, quod fruticoſius priore eſſe dicit, non tamen minus odoratum quàm illud: id dicitur Hiſpanis* altamiza. *Quartum & quintum incolæ Chamæpityn eſſe putabant: vulgare autem nomen illis* çamarilla.

CÆTERVM *Polium viſcera obſtructionibus liberat, vrinam & menſes ciet, in antidota miſcetur, ſuffitum & ſtratum ſerpentes abigit, illitu vulnera glutinat.*

CAROLI

CAROLI CLVSII RARIORVM STIRPIVM HISTORIÆ,

LIBER SECVNDVS.

ARBORVM, fruticum & ſuffruticum abſoluta Hiſtoria, reliquarum ſtirpium deſcriptiones adgrediemur, inter quas Coronariæ (quòd inſigni colorum varietate, omnium oculos ilicò in ſe conuertant, eoſque mirum in modum recreent) meritò primum locum ſibi vendicare videntur. Initium igitur à Bulboſis, vtpote nobilioribus, facientes, reliquas ordine deinde proſequemur.

De Narciſſo. CAP. I.

DVO ſunt apud Dioſcoridem Narciſſi genera, medio luteus, & medio purpureus. Ego, præter poſtremũ (qui nonnullis Narbonenſis Galliæ pratis ſpontè prouenit) quatuor alia genera per Hiſpanias obſeruaui, magnitudine, florum foliorumq́ forma & colore, florendi deniq; tempore inter ſe differentia.

PRIOR *ergo Narciſſus terna aut quaterna folia habet, virentia, oblonga, Porri foliis ſimilia ferè, caulem concauum, ſtriatum, ſine foliis, pedem altum, interdum altiorem, & in ſummo flores ſex aut octo, pluréſve, triangulis pediculis inſidentes, & è membrana erumpentes, mediocriter amplos, cum grauitate quadã odoratos, ſex foliis albis conſtantes, quorum medium calyx omnino luteus occupat, ſtamina breuia ſex cum* I. Narciſſus medio luteus.

 totidem

totidem apicibus ſubluteis continens: ſiliquæ inde triangulares, & in his ſemen nigrum, anguloſum. Radix ſatis ampla, bulboſa, intus alba, foris aliquot nigricantibus tunicis ſepta, fibris multis capillata, & ſuccum quendam lentum, vt reliqui bulbi, ſi præcidatur, exſtillans.

Naſcitur plerisq; Hiſpaniæ, quæ ad Mediterraneum mare ſpectat, locis, & omnibus ferè circa Mompelium pratis.

Floret calidioribus regionibus menſe Februario, interdum etiam Ianuario; apud nos non niſi Martio aut Aprili.

Narciſſus præcox.

2. Alius huic ſimilis inuenitur, paulò tamen præcocior, latioribusq; foliis, & maioribus floribus.

Narciſſus flore multiplici.

3. Tertius item latioribus & quodãmodo carinatis foliis, multiplici flore: nam medius ille calyx luteus interiora ſex candida folia ſic interſecat & diſiungit, vt calycis formam amplius non ſeruet, ſed veluti apophyſis quædam lutea ad ſingula folia adnata videatur: odoratiſſimus eſt flos ille, & grauedine quadam caput tentans.

Vterque Conſtantinopoli ad nos delatus, in figulinis colitur & adſeruatur, vbi floret Aprili, interdum etiam Martio, ſi veris temperies paulò calidior fuerit.


II. Narciſſus totus albus prior.

ALTER *priori forma haud abſimilis, foliis paulò longioribus & anguſtioribus, viridibus, ternis aut quaternis: è quorum medio caulis ſatis latus, anguloſus tamen & concauus, cui inſident ſeni, ſepteni, interdum deni flores prioribus ſimiles, ſed oblongiores & omnino candidi, quorum videlicet calyx (qui in priori luteus) etiam albus eſt, & odoratus: radix ſuperiori ſimilis.*


Narciſſus totus albus alter.

2. Huius generis & alius eſt, ſuperiore minor, foliis candidioribus firmioribusq;, vti ferè in eo bulbo, qui à Narbo-

Narciſſus flore multiplici.



Narciſſus totus albus prior.



Narbonenſibus Scilla ſeu Pancratium, Valentinis Hemerocallis appellatur, caule breuiore, & binos, ternos aut quaternos duntaxat flores proferente.

Naſcuntur pingui ſolo nonnullis Luſitaniæ & Bæticæ locis, & etiam maritimis vliginoſisq́. Inueni & in ſumma Calpe, florentemq́ Ianuario & Februarij initio obſeruabam. Nobis poſterior (nam priorem apud nos florere nondum contigit) reliquis Narciſſis ſeriùs, hoc eſt Maio, floruit.

TERTIO *bina aut terna ſunt folia oblonga, anguſta, carnoſa, & propemodum rotunda, iuncis viridioribus & medulloſis, læuore, colore, & flexibilitate quodammodo ſimilia, inter quæ medius exilit caulis, rotundus, cauus, abſq; foliis, in cuius ſummo, ex tenui quadam membrana flores quatuor, quinq; aut ſex prodeunt oblongi (gemelli interdum) forma Narciſſinis ſimiles, ſed odoratiores & omnino lutei, hoc eſt tam interiore calyce, quàm eum ambientibus foliis, quæ nunc mucronata, nunc quodammodo circinata conſpiciũtur: his ſuccedunt ſiliquæ triangulares, ſed obtuſis angulis, ſemine nigro & anguloſo plenæ vti in Narciſſis, ſed minore: Radix parua bulboſa, candida, nigricãtibus denſisq́ membranis tecta.* III. Narciſſus iuncifolius prior.


2. *Iſtius genus inuenitur magis puſillum, gracilioribus, rotũdioribus, multoq́ pluribus foliis, in cuius cauliculis vnus aut alter duntaxat flos, luteus & odoratus vt in alio, ſed firmioribus foliis & magis orbiculatis.* Narciſſus iuncifolius alter.

Prior ſpontè exit in montanis pratis non procul Toleto, & circa Guadalupe. Poſteriorem vliginoſis inter Hiſpalim & Gades locis cum ipſo flore collegi menſe Ianuario: nobis non niſi Aprili vterq; floret, tametſi interdum & media hyeme.

3. *Iã inuenitur et alius Narciſſus ex Thracia primũ*

Q 5 delatus,

Narciſſus juncifolius prior.



delatus, foliis quidem ſecundo Narciſſo ſimilibus & anguſtis, ſed flore omnino aut luteo aut pallido, odoratiſſimo: ſemine Narciſſino ſimili, radice plerunq; minore tunicis coloris ſpadicei tecta. Sed qui pallidus eſt, calyculum medium planè aureum, vti medio luteus, radicem æquè craſſam, & folia non minus lata habet. Narciſſus totus luteus.

QVARTVS plantula eſt digitalis, vnicum cauliculum gracilem & vacuum ferens, & in ſummo florẽ album Narciſſi odoratum, ſex foliolis conſtantem, & in medio calyculum luteum: ſiliqua anguloſa ſemen nigrum exiguum anguloſumq́; continet: radix Narciſſi iuncifolij, minor tamen, bulboſa, multis tunicis candidis lentoq́; ſucco prægnantibus conſtans, quam ambit membrana quædam nigra. Tota planta amara eſt, vt ſuperiores, vereq́; dixit Plinius, odorato ſaporem rarò vlli non amarum. IIII. Narciſſus autumnalis minor.


Naſcitur plurimus ad Anam flumen in Turdulis, floretq́; ſine vllis foliis ſub Octobris finem.

1. HIS addi poteſt & is quem nonnulli Narciſſum vocant, tametſi flore Narciſſo diſſimili, foliis quinis aut ſenis oblongis, & pollicem latis, præ virore ferè nigricantibus & ſplendentibus, humi ſparſis, inter quæ breuis exit pediculus potius, quàm caulis, florem ſuo cacumine ferens luteum Colchici forma, ſex foliis conſtantem (quorum tria maiora alia tria interiora, quæ minora ſunt, amplectuntur) ex membrana veluti vaſculo protuberantem, intra quem ſex ſtamina cum ſuis apicibus & medio piſtillo videre licet: radice craſſa, rotunda, intus candida, foris vt in reliquis Narciſſis nigricante. Narciſſus autumnalis quorundam

Sub Auguſti finem, & Septembri germinare incipit, & plerunq; floret. Gaudet montoſis quibuſdam Hiſpaniæ pratis, atq; etiam in Italia naſci audio.

SVPRA

Narciſſus autumnalis minor.



Narciſſus autumnalis quorundam.



Sparganium Plaçæ.

2. SVPRA Valentiam ſalebroſis & petroſis locis naſcitur quædam planta binis foliis humi ſtratis, oblõgis, pinguibus, & ex viridi nigricantibus, deſcripto poſtremum Narciſſo ferè ſimilibus, ſed quibus interiori parte linea quædam latiuſcula & alba ſecundum longitudinem ducta eſt: radix bulboſa, multiplici tunica conſtans vt cepa, quarum exterior nigricans eſt, interiores candidæ & lenti viſcidiq́ ſucci plenæ, ingrati amariq́ ſaporis.

Eam clariſſimus medicus D. Ioãnes Plaça, caulem pedalem (nam radicem cum foliis duntaxat eo demonſtrante erui) læuem, aliquot in ſummo flores Lilij æmulos, candidos ferentem, deinde capitula rotunda in quibus exiguum ſemen contineretur referebat, & Sparganium vocabat.

Νάρκισσοι. Narciſſus.

CÆTERVM à Græcis flores hi νάρκισσοι, à Latinis Græcos æmulatis etiam Narciſſi nũcupantur: Galli peculiare nomen non habent, ſed Narciſſes appellare poſſunt.

Prior Hiſpanis Lirio; alter Lirio blanco, & Cebollinas dicitur, quibuſdam etiam Narciſſo de Seuilla, id eſt, Hiſpalenſis Narciſſus, quòd à me primùm, & poſteà aliis indè ſit miſſus: Eius altera ſpecies Iunquillos blancos, tametſi id nomen alteri Narciſſo (quod iſtic iunceis foliis floreq́ omnino albo naſci intellexi, cõſpexi autem nunquam) etiam tribuãt. Tertius à ſimilitudine quam eius folia cum iuncis habent, Ionquillos vocant, nos Narciſſum iũcifolium luteum dicere poſſumus, ad differentiam alterius qui ex Thracia latiore folio defertur. Quartum incolæ, qui ſunt Bæticæ pars, Toñada nuncupant, nos, quòd autumno floreat, Narciſſum autumnalem minorem appellauimus, vt à ſequente diſtinqueremus, quem nonnulli Narciſſum autumna-

autumnalem, quidam Colchicum flore luteo nuncupãt, Hiſpani Açuçenas amarillas, *id eſt Lilium luteum, Theophraſtum fortè imitati, qui hanc plantam lib. 6. cap. 6. Narciſſi vel Liry alterius nomine deſcribere videtur, flore largè amplo, coloreq́ (vt eruditiores volũt) melino, non nigro, figura oblongo, ſerotinumq́ admodum, poſt Arcturum & circa æquinoctium florentem: vel, vt ſequente capite ait, autumno primis imbribus, quemq́ lib. 7. cap. 12. caulem tantum floris ſortitum dicit vti Crocum, cùm aliis omnibus bulboſis aſſurgat.* Lirium alterum.

ALVNTVR *apud nos in hortis ab herbariæ rei ſtudioſis & aly aliquot Narciſſi, quorum hiſtoriam in libro clariſſimi viri D. Remberti Dodonæi, nunc Cæſarei medici, cui De Coronariis titulũ fecit, videre licet.*

PORRO *Narciſſi radicem, ſi edatur, vomitoriam eſſe ſæpenumerò expertus ſum, qua facultate præditam etiam Dioſcorides teſtis eſt, apud quem reliquas Narciſſi facultates inuenire poſſunt ſtudioſi.*

De Pſeudo-narciſſo. CAP. II.

1. NASCITVR *hic quibuſdam Luſitaniæ Bæturiæq́ collibus, foliis anguſtis admodum, tenui, nudo, palmumq́ alto cauliculo, è cuius ſummo dependet flos ſex foliis ex herbido palleſcentibus & ſtellatim expanſis conſtans, cuius medium calyx luteus, oblongus calathi modo occupat, oris æqualibus, non ſinuoſis & fimbriatis, vt qui apud Belgas naſcitur: radix Narciſſo exiguo ſimilis, intus candida, foris nigricans.*

Floret Ianuario. Incolæ Campanilla, *hoc eſt, Campanulam vocant.*

2. *Eius genus inuenitur nonnullis veteris Caſtellæ pratis, & locis humidis, Belgico omnino ſimile. ſed foliis* Pſeudonarciſſus maior

longè

longè maioribus, & etiam flore, qui totus luteus eſt, & quaſi croceus.

Pſeudo-narciſſus multiplex. 3. *Nunc etiã apud Belgas in hortis alitur Pſeudo-Narciſſi genus Belgico per omnia ſimile cùm foliis tum bulbo, ſed flos calyce caret, & eius loco innumera habet folia externis ſex ſimilia, colore pallido.*

De Moly. CAP. III.

Moly. HABET *hæc planta bina aut terna folia graminea, exteriore parte aliquantulum lanuginoſa, mollia, & ad terram inflexa, inter quæ caulis exilit dodrantalis, læuis, rotundus, vacuus, in cuius cacumine ex membranula quadam emergunt multi floſculi exigui, candidi, ſex foliis cõſtantes: radix bulboſa, allij aut auellanæ magnitudine, nigricantibus membranis inuoluta, intus cãdida, ſucculenta, calidiuſcula, & ſubingrato odore.*


Naſcitur Gadibus extra mœnia, ea parte veteris vrbis quæ in mare protenditur, non procul à ſacello, vbi Herculis templum fuiſſe ferunt. Februarij initio florentem iſtic inueni.

μῶλυ. PLVRIMVM *ad* μῶλυ, *Moly Dioſcoridis accedere mihi videtur, præſertim ſi pro* πηχέων τεσσάρων *legatur* δακτύλων τεσσάρων, *hoc eſt quaternûm digitorũ.*

Moly Theophraſt. DIFFERT *autẽ ab eo quod Theophraſtus libro 9. cap. 15. & poſt eũ Plinius lib. 25. cap. 4. ex Homero deſcripſerũt. Etenim illorũ Moly foliis eſt Scillæ tribus aut quatuor, lõgioribus, caule cubitali, interdũ bicubitali, craſſo, cõcauo, rotundo, foliorũ experte, multos flores ſtellatos candidos in ſummo cacumine ferente, oblõgis pediculis inhærentes, ſemine in capitulis triangulis nigro, ceparum ſimili ferè: radix craſſa, alba, nigra membrana tecta. Iuxta caulem inter folia plerunq; exit*

alius

Moly Dioſcoridis.



alius cauliculus planus & foliaceus, ſeu veriùs folium, quod in ſummo veluti allij nucleum gerit, initiò candicantem, deinde palleſcentem, qui terra exceptus germinat, & plantam eiuſdem generis profert.

Alitur hoc apud nos in hortis ab herbariæ rei ſtudioſis, & Maio menſe floret.

Moly Indicum.

ALVNT *& illi aliud Moly genus quod Indicum vocant (alij barbaro nomine Caucaſon) quoniam ex India primùm in Hiſpanias perlatum eſt, & indè ab Italis delatum nobiſq́; communicatum, ſuperiori cùm foliis tum reliqua forma ſimile, ſed nunquam florens, & cui, floris loco, in extremo caule (qui pedalis eſt, & planus ferè, nec attolli, niſi ſuſtentetur, poteſt) conglomeratum caput eſt, multiſq́; veluti allij ſpicis meſpili vulgaris magnitudine conſtans, primùm viridibus, deinde flaueſcentibus aut palleſcentibus, quæ etiam ſine terra repoſitæ, germinant: terræ tamen commiſſæ, in maiores bulbos adoleſcunt, foliaq́; & caules proferunt: radix vt alterius cepacea, rotunda, alba, & multis tunicis amicta, quæ vetuſtate ſeparatur, ac in alios bulbos ſeſe pangit.*


De Croco verno. CAP. IIII.

CROCI, *quod nõnullis Vernum appellare placuit, duo genera mihi obſeruata ſunt: vnum tenui admodum folio, & Croco diſſimili; aliud foliis Croci vulgaris æmulis, ſed breuioribus.*

Crocus vernus minor 1.

1. ANGVSTIFOLIO, *ſiue minori, bina aut terna ſunt folia, oblonga, Crocinis longè anguſtiora, gracilioraq́;, rotunda, & capillaria ferè, viridiaq́;: prodit inter ea cauliculus pollicari longitudine, angulоſus, in quo flos vnicus Croci ferè, ſed minor, ſex foliis conſtans, ima*

Crocus vernus minor 1.



arte foris flaueſcentibus, intus nonnihil candicãtibus, reliqua cæruleis ſiue violaceis (inueniuntur & toti cã-didi) odoratis, quibus inſunt aliquot ſtaminula: his ſuc-cedit folliculus trigonus, ſemen continens exiguum, ful-ueſcens: radix exiguæ auellanæ magnitudine, dura ſpa-diceoq́; cortice ſiue putamine tecta, intus alba, firma, ſubadſtringente guſtu. Bini plerunque flores & interdũ

 terni

terni ex eodem cortice, qui totidem bulbulos complecti-tur, prodeunt.

Plurimus inuenitur Gadibus, atque inter Aſindum (vulgò Medina Sidonia) & Calpen, locis ſalebroſis & apricis.

Crocus vernus minor alter.

2. A L I V D *genus cùm foliis tum radicis externo cortice huic omnino ſimile obſeruaui, in Bæturiæ collibus Luſitaniæ conterminis, flore verò paulò minore, & ex albo purpuraſcente, vixq; è terra prominente, qui octonis foliolis compoſitus eſſet, quatuor exterioribus paulò maioribus: radix illi candida & gemina, vna ſuper alteram inſidente, quarum ſuperior firma dulcis & edulis eſt, inferior flaccida.*


Crocus vernus minor tertius.

3. T E R T I V M *genus vberioribus & craſſioribus foliis, & interdum rectis, cùm reliquorum procumbant, & humi ſpargantur: flos ſuperioribus multò minor, totusq; cæruleus, tribus exterioribus foliolis exceptis, quæ foris vireſcente colore diluta ſunt: huius etiam radix, tametſi ſuperioribus ſimilis, priore paulò maior eſt, & ſemen etiam craſſiuſculum.*

Hunc Gadibus dũtaxat iuxta priorem inueni. Florent verò omnes Ianuario & Februario.

A P P E L L A T V R *hic Bulbus à nonnullis Crocus vernus, quòd flore ſit Croci, vereq; floreat: folia tamen Croci non ſunt, ſed rotunda & capillaria planè. Nomen vulgare Luſitanis Galeciæ vicinis, apud quos etiã naſci quidam illius regionis incolæ aſſerebant,* Nozellas pequeñas, *id eſt, paruæ Auellanæ, ſeu nuces Pōticæ: ſed alia eſt Luſitanis* Noſelhas, *de qua inferius. Secundum genus incolis* Cebollina, *id eſt parua Cepa, dicitur, quo ferè nomine ſolent Hiſpani minores omnes bulbos nuncupare. Primum genus obſeruatum fuiſſe videtur Anguillaræ, & Crocum ſilueſtre anguſtifolium ab eo vocari.*

Crocus vernus minor 3.



eo vocari. Ad Theophraſti fortè Bolbinam, Opitionem, aut Cyicem referri poterunt. Bolbina, Opition, Cyix.

ISTORVM *Bulborum nullas facultates exploratas habeo. Sed omnes præter ſecundum ſpectantur in cultiſ-*

ſimis hortis illuſtris viri Dn. Joannis de Brancion Machliniæ, & clariſſimi viri Dn. Ioannis de Boiſot Bruxellæ, cui ex Hiſpania vſq; eos miſi.

II. VERVM in his etiam conſpicere licet tria alia Croci vere florentis elegantiſſima genera, ex Jtalia & Alpibus eò perlata.

Crocus vernus maior. 1. PRIMVM foliis Crocum ſatiuum omnino refert, niſi breuiora eſſent: ante florem ea prodeunt, deinde ſubſequuntur bini aut terni flores Crocinis ſimiles, ſex foliis conſtantes, quorum exteriora terna, quæ pallidula ſunt, tres purpureæ ſaturatiores & quaſi nigricantes lineæ, ab infima baſi ad extremum folium ductæ verſicoloria faciunt, intus verò tum hæc, tum tria interiora candicant, ſtaminaq; in meditullio habent Croco ſilueſtri ſeu montano ſimilia: floribus ſuccedunt ſiliquulæ oblongæ, anguloſæ, ſubruſo & rotundiuſculo ſemine refertæ.

Jllius etiam genus C. V. Dn. Alphonſus Pancius, piæ memoriæ, illuſtriſſimi Ducis Ferrariæ medicus, reiq; herbariæ peritiſſimus ad nos miſit, ſed per omnia minus.

2. 3. ALTERVM & TERTIVM foliis ſunt breuioribus ſuperiore, ſed paulò latioribus: flos vtrique ſuperiore minor, vni candidus omnino, pediculoq; purpureo, alteri ſaturatioris purpuræ. Omnibus in medio ſtamina quædã palleſcentia, & radix Croci, minor tamen.

Nonnullis Crocus vernus maior, & Crocum ſilueſtre montanum dicitur: aliud tamen proximo capite montanum Crocum dabimus.

ISTIVS radice foris vtendum quidam cenſent, illitamq; pubi, vrinas crebras atq; craſſas elicere, tumores hydropicorum diſcutere, & ſpicula euellere.

De

Crocus vernus maior.



De Croco montano.

CAP. V.

Crocum montanum.

CROCVM *hoc flore eſt ſatiui Croci, ſed dilutiore, ſtaminibus intus tribus croceis, inter quæ veluti penicillus luteus emicat, folia quaterna Crocinis ſimilia, viridia, interiore parte veluti lineam quandam candicātem ſecundum longitudinem, exteriore verò duas huiuſmodi lineas & quaſi canaliculos habentia: radix ſatiui, candida, plena, & veluti internodiis diſtincta, ſubdulcis primùm, ingrati deinde ſaporis, integitur ea cortice quodam denſo, & multis villis contexto.*


Naſcitur in nonnullis Luſitaniæ rupibus, præſertim iuxta mare. Floret iſtic toto Nouembri, nobis etiam Septembri: ſiliquas Maio fert craſſas, anguloſas, ſemine plenas, quale Croci verni eſt.

κρόκος ὀρεινός.

THEOPHRASTO *lib. 6. cap. 7.* κρόκος ὀρεινὸς *dicitur, Latinis Crocum montanum & ſilueſtre, Luſitanis* Pie de borro, *id eſt Pes aſininus, neſcio qua de cauſa appellatur.*

De Colchico

Crocum montanum.



De Colchico montano.

CAP. VI.

Colchicum montanum.

COLCHICVM *montanum planta eſt ternis aut quaternis folijs, digitum oblongis, per terram ſtratis, Hyacinthi non ſcripti ferè æmulis, ſed ſaturatius virẽtibus & ſplendentibus, guſtuq́ acidis, quæ vbi flacceſcere incipiunt, colorem ſubrubrum contrahunt: flos ſine folijs primùm exilit, & ſex oblongis purpureisq́ folijs & in medio ſtaminibus totidem conſtat: eum folia ſtatim (contra quàm in alio Colchico) ſubſequuntur, & quodammodo protrudunt, totamq́ hyemem perdurãt in menſem vſq́ Maium aut Iunium: radix bulboſa, vnica, non magna, multis ſubrufis & nigricantibus tunicis amicta, intus ſolida, candida, dulcisq́ cum quadam adſtrictione, ſede longiuſcula, quæ adnatis in lateribus propagatur.*

Collibus Salmanticæ vicinis lapidoſo admodum ſolo prouenit, vbi Maio menſe collegi proferentem caulem dodrantalem, firmum, & in faſtigio triangularem ſiliquam ſemine ex rubro nigreſcente, læui, exiguo, ſubrotundo, amariuſculo plenam. In Belgis nullum adhuc caulem, nullum ſemen protulit, tametſi ſemine indè delato natum, & aliquot annis iam florens. Floret autem menſe Septembri, nonnunquam etiam Auguſto.


ISTIC *vulgò* Merenderas *vocatur, vti vulgare* Quita meriendas, *quibuſdam etiam* Villorita.

Colchicum flore albo.

OBSERVABAM *quoq́ in pratis Salmantinis Colchicum noſtro vulgari ſimile, ſed minus, atque eius plantas nonnullas flore omnino lacteo: ſed in eo genere folia ante primum ver emergere non ſolent, quemadmodum nec in eo quod Lobelius prope Briſtolium & agro Somerſeti in Anglia naſci tradit, cuius aliquot bulbos*

ipſe

Colchicum montanum cum flore.



Colchicum montanum.



ipſe & Morganus, dum apud eos eſſem, mihi donarūt, ijdemq; apud nos terræ commiſſi, & florem, & ſemen protulerunt. Verùm Anglicum radice conſtat æquè magna plerunq; atq; Germanicum vulgare, folio autem aliquantulum anguſtiore.

Simile flore albo hoc autumno pratis quibuſdam Viennæ Pannoniæ vicinis, non procul à Danubio erui, radicibus magnis, quæ nonnunquam ſenos aut octonos flores ſimul protuliſſent.

De Hyacintho autumnali. CAP VII.

1. FOLIIS exilibus eſt quinq; aut ſex, quæ Croci foliis multò ſunt tenuiora: caule dodrantali, nudo, gracili. floribus radiatis & ſtellatis purpuræ dilutioris, ſtaminibus in medio exiguis: hi marceſcentes, ſiliquas relinquunt exiguas, triangulares, in quibus ſemen exiguum, nigrum continetur: radix parua, bulboſa, candicans. Hyacinthus autumnalis.

Ante viginti annos hunc colliculis Mompelio vicinis collegimus, deinde ſilua Madritiana Pariſiorum, poſtremò Salmanticæ collibus ad flumē Thormim ſitis, copioſiſſimum, lapidoſo admodum ſolo, (vbi Colchicum montanum iam deſcriptum etiam copioſiſſimè prouenit) florentem menſe Septembri.

2. Eius aliud genus obſeruaui elatius, maiore bulbo, latioribus foliis, & numeroſiore flore, cuius hîc iconem exhibemus. Floret is maturius aliquanto ſuperiore. Hyacinthus autumnalis maior.

AVTVMNALEM Hyacinthum ideò nuncupamus, quòd non niſi autumno floreat. Quidam Bulbinen eſſe exiſtimabant: ſed Bulbines apud Plinium lib. 20. cap. 9. deſcriptio planè refragatur, quæ porraceis foliis & rubicundo bulbo eſſe debet: niſi fortè quis Bulbine Plinij.

ad Bulbinam

Hyacinthus autumnalis maior 2.



ad Bulbinam Theophraſti referendum putet, cui candidam radicem tribuit.

De Leucoio bulboſo autumnali.

CAP. VIII.

CAVLICVLO *eſt palmum alto, gracili, vnum, interdum alterum & tertium ferens florem, candidum omnino ſeu lacteum, penſilem, ſex foliis conſtantem, & in calathi ſiue tintinabuli modum formatum, inodorũ & ingrati ſaporis, flori inſunt pallida ſtamina, eoq́ iam aperto primum prodeunt folia quatuor aut quinq́ capillaria, & viridia: radix bulboſa ſatisq́ magna pro plantæ proportione, candida, multisq́ tunicis glutinoſis compacta & amara, quæ candicante membrana tegitur.* Leucoion bulboſum minus autumnale.


Ad flumen Anam naſcitur non procul Badajoz, floretq́ ſub finem Octobris & Nouembris initio, nuſquam alibi mihi conſpecta.

Eum bulbum tametſi ex Hiſpaniis ad amicos miſerim cum Narciſſo illo autumnali paruo, neuter tamen vnquam floruit, & iam periiſſe puto.

LEVCOII *autumnalis huic plantæ nomen indidi, quòd autumno duntaxat florentem inuenerim.*

De Iride

Leucoium bulboſum minus autumnale.



De Iride bulboſa.

CAP. IX.

ALIQVOT *Plantas in Hiſpanica mea peregrinatione obſeruaui, quæ cùm flore Iridis aut Xyridis eſſent, erutas tamen bulbacea radice eſſe deprehendi: quæ ratio me mouit, vt eas Iridis bulboſæ nomine donarem.*

PRIOR *ſena vt plurimum habet folia longiuſcula & latiuſcula, Hemerocallidis Dodonæi ferè ſimilia, inuicem alternatim amplectentia, mollia, in terram recurua, ſupernè ex viridi pallentia, infernè verò candicantia: è quorum medio flos exilit vnicus, odoratus, cæruleus, interdum candidus, nouem foliolis conſtans, Iridis ſeu potius Xyridis forma, quo marceſcente, vtrinq; alij ſinguli ſuccedunt. Caulem non habet, ſed flos longo pediculo inſidet vt in Croco: radix bulboſa, candida, Auellanæ modo dulcis, multiplici cortice nigricante inuoluta, cui (dum floret præſertim) aliquot, præter fibras, radiculæ craſſæ & oblongæ ſubnaſcuntur, vt in Hyacinthis interdum fieri ſolet.* I.

I. Iris bulboſa latifolia.


Inuenitur in Luſitaniæ Bæticæq; collibus non procul ab Ana flumine ſitis, & copioſè circa Antequeram & Cordubam. Floret iſtic Ianuario & Februario: ad nos delata nunquam floruit, ideoq; nullum ſemen obſeruare potui: ſed infima pars pediculi florem ſuſtinentis & inter folia recondita, deſinit in rudimentum oblongæ ſiliquæ triangularis, multa candida granula continentis: quo argumento adducor, ſemen Aprili aut Maio matureſcere poſſe.

ALTERI *ſunt quinq; aut ſex folia tenuia, cubitali longitudine, interna parte caniculata & candicantia, externa autem ſtriata, & viridis cum cinereo cõmixti coloris, caulem amplexantia, qui ſeſquicubitalis eſt,* II.

II. Iris bulboſa anguſtifolia flore vario.

 interdum

Iris bulboſa latifolia 1.



Iris bulboſa anguſtifolia flore vario II.



interdum maior, raro breuior, nodoſus, florem vnicum è vaginulis promens Iridis ſilueſtris aut Xyridis ferè forma, cuius labra inferiora & ad terram inflexa, extrema parte latiora ſunt, & candicantia, quóque loco fimbria villoſa eſſe ſolet, lutea macula inſignita: folia alia his incumbentia ſubcærulei ex candido ſunt coloris, extrema parte bifida & reflexa, ligulam vt in Iridis generibus occultantia: reliqua tria erecta & oblonga ſunt, & dilutioris ex cæruleo purpuræ; totus flos iucundo ſpirat odore, præmanſi ferè coriandri. Flori ſuccedit ſiliqua oblonga, gracilis, triangula, ſubrufum anguloſumq́ue ſemen continens. Radix bulboſa, candida, ſubdulcis, ſpadiceis aliquot membranis inuoluta, quæ nucleis vti allium ferè ſeparatur & ſeri poteſt.

2. Eſt verò hæc modò breuiore latioreq́ue flore, modò anguſtiore, & vtroq́ue aut dilutiore, aut ſaturatiore. Quæ latiore eſt flore, binos plerunque producit flores, eiusq́ue ſiliqua breuior eſt, & æquali vbiq́ue craſſitie: quæ anguſtiore, longior & infima parte gracilior. Rurſus latioris radix breuior eſt & vberior: anguſtioris, oblongior & gracilior.


PINCIÆ *mihi primùm hæc data fuit à Ioanne Ioigny Gallo architecto, qui hortulum peregrinis plantis ſatis inſtructum habebat, à quo nonnullis Hiſpaniæ collibus inueniri intellexi. Floret apud nos Iunio duntaxat, ſemen Auguſto matureſcit.*

III. TERTIA *iam dictæ per omnia ſimilis ferè eſt, breuiore tamen caule, gracilioribusq́ue & ex viridi palleſcētibus foliis: flores bini contractiores latioresq́ue & lutei, inodori: ſiliqua craſſior & breuior, ſemen ſuperiori ſimile: radix iam dictæ ſimilis, quæ nucleis etiã ſeparatur.*

Iris bulboſa anguſtifolia luteo flore.

2. Sed hæc etiam in flore differentiam quandam habet, licet exiguam: nam inuenitur latiuſculo, ſaturatiore,

Iris anguſtifolia flore luteo III.



tiore, magiſq́ rutilante colore, & radice etiam breuiore latioreq́: & latioris (vnde folia exeunt) vaginula plerunq́ ſanguineo colore infecta eſt. Tam huius quàm variæ flores marceſcentes contrahuntur miluinorum vnguium modo, quod etiam aliis quibuſdam Iridis generibus peculiare eſt.

Naſcitur pingui ſolo, & petroſis collibus ad Tagũ ſupra Olyſipponem, vbi eam cum aliquot aliis rariſſimis plantis reperi, & inde ad amicos in Belgium miſi. Floret quo ſuperior tempore.

PRIOREM *appellaui latifoliam, & à floris colore purpuream ſeu cæruleam: Hiſpani nunc* Lirio *ſimpliciter, nunc* Lirio eſpadañal, *&* Lirios azules, *hoc eſt, Lirium, Lirium enſiformem, & Lirium cæruleum. Alteram anguſtifoliam flore vario nuncupaui: Hiſpani* Lirio Illyrico. *Tertiam, Iridem bulboſam flore luteo: Luſitani* Reylla buey.

DE *harum Iridum viribus nihil compertum habeo, aut ab aliis traditum accepi.*

IIII. Iris bulboſa anguſtifolia flore purp.

MISIT *poſteà ad nos C. V. Matthias de Lobel medicus, de re herbaria optimè meritus, Iridis bulboſæ genus folio craſſiore & veluti cepaceo, viridiore, parte interiore caniculato, & candido, multiſq́ velut bullis argenteis reſperſo: caule craſſiore & firmiore, quem, vt in ſuperioribus amplectuntur folia quaterna aut quina: hic ex vaginulis binos flores promit inuicem ſuccedentes, ſuperioribus maiores & latiores, violaceo planè & elegantiſſimo colore, inodori tamen, quibus pro fimbria, lutea macula eſt vt in reliquis: ſuccedunt binæ ſiliquæ magnæ, laxæ, in quibus ſemen reliquis maius, erui vulgaris magnitudine, pallidum, rotundum, rugoſum, quod maturum, in ſiliquis, ſi moueantur, crepitat: radix eſt reliquis maior, & pluribus membranis tena-*

cioribus

cioribus nigricantibusq́ circumuoluta, quæ nucleis etiã ſeparatur, ſed non tam copioſis atq; in varia & lutea, quæ ſingulis annis quinq; aut ſex huiuſmodi nucleos deponunt. Floret quo reliquæ tempore.

Sponte naſci in Anglia exiſtimabam, & Briſtolium vſq; profectus, in agris fruſtrà requirebam, quòd indè ad nos tranſlata eſſet: ſed ab ipſo Lobelio intellexi, Briſtolij primùm illi innotuiſſe, ex hortis, in quibus iſtic colitur, erutam: deinde Londinum miſſam & amicis communicatam. Veriſimile eſt Hiſpanicis nauibus quæ plerunq; eò cõmeant, primùm huc ex Hiſpania aut Luſitania delatam.

Illius iconem ipſe Lobelius exprimit Hyacinthi poëtarum nomine in doctiſſimo Aduerſariorum volumine.

Omnium iſtarum floribus, illius verò præſertim quæ eſt vario flore (quòd, vt opinor, rorem quendam in lateribus exſudent) formicæ mirum in modum infeſtæ ſunt.

De Siſyrichio. CAP. X.

POST *Irides bulboſas proximè collocanda mihi videtur planta quædam flore Xyridis, ſed radice orbiculata vti Xiphium, cuius duo genera obſeruaui.*

VNVM *oblongis anguſtisq́ foliis, Allij ferè aut Hyacinthi botryodis & vulgaris, viridibus & humi plerunq; fuſis, caule rotundo, dodrantali, ſtriato, firmo, qui ex multis inuolucris tanquam è vaginulis flores promit quatuor aut quinq;, alternatim prodeũtes, hoc eſt, vt primo marceſcẽte alter ſuccedat, deinde tertius, & ſic deinceps, Xyridis ferè forma, ex nouem foliolis cõpoſitos, quorum tria, vt in iam deſcriptis Iridibus bulboſis, deorſum reflexa, pro fimbria luteam maculam etiam habent, alia tria ſurſum aliquantulum pro-* I. Siſyrichion maius.

 minent,

minent, tria verò reliqua, quæ in aliis fimbriam tegere ſolent, ſurſum erecta & extrema parte diuiſa, medium floris quodammodo tenent. Eſt verò totus flos pulcher aſpectu, colore cæruleo, odoratus, ſed fugax admodum: ſiliquæ inde ſuccedunt membraneæ & tranſparentes, ſemine rotundo, paruo & ſubrufo plenæ. radix bulboſa, gemina, altera ſuper alteram inſidente Xiphij modo, quarum ſuperior plena eſt, candida, dulcis, edulis & pueris expetita, inferior flaccida, & tandem cum cortice qui multiplex reticulatus, craſſus & niger eam integit, euaneſcens: adnatis ſe propagat vti Xiphio, nam interdum quinas aut ſenas plantas, ſingulas ſuo retiformi tegmine inuolutas, alio villoſo capacioreq́ tegumento ſimul comprehenſas eruiſſe memini, in decliuibus collium ſupra Olyſipponem apud ſuburbanum magnifici & generoſi viri Dn. Ferdinandi Cotinho equitis Luſitani, atque etiam Gadibus, vnde eas in Belgium ad amicos miſi.

II. Siſyrichium minus.

ALTERVM *genus ſuperiori ſimile, per omnia autem minus, & foliis gracilioribus, floréque longè odoratiore.*

Inuenitur hoc Valentino regno, ſed Murciano frequentiſſimum, præſertim tribus leucis ſupra eius regni metropolim, quæ veteribus Murgis dicebatur, itinere Granatenſi. Floret vtrumq́ Martio, natali ſolo, ſed apud nos Maio, & interdum Iunio, idq́ admodum rarò, vtpote quòd alternis duntaxat annis plerunque prodeat.

PRIVS *Luſitani* Nozelhas, *quaſi nuculas ſiue paruas nuces appellant, quòd pueri iſtic eius bulbo perinde atq́ auellanis veſcantur & in deliciis habeant.*

ALTERVM *incolis* Lirio, *nonnullis* Maçucas *dicitur. Porrò hæc planta ad eum Bulbum accedere videtur,*

detur,

Siſyrichium minus II.



detur, quem Theophraſtus libro 7. cap. 13. hiſtoriæ
σισυρίχιον. *Plantarum* σισυρίγχιον *appellat. Scribit enim, peculiare Siſyrichio eſſe, vt vna radix primò augeatur hyeme, tum ineunte vere, quod in imo excreuerit, contrahatur, ſupernumq́ue creſcat, quod manditur.*

Poſterius hoc ad ventris tormina vtile eſſe referebãt incolæ, ſed ilico ſaltatione exercendum eſſe corpus ei, qui eius radicem deuorauerit.

De Iride Luſitanica ſeu biflora.

CAP. XI.

Iris biflora. HVIVS *Iridis folia breuiora ſunt & anguſtiora vulgari Iride, alioqui haud abſimilia: in ſummo caule, qui pedalis eſt, flos è vaginulis purpuraſcentibus prominet, ſenis foliis conſtans, vt vulgaris Iridis, ſed minor aliquantulum, & colore omnino violaceo ſeu purpureo ſaturatiore, qui in deorſum reflexis tribus foliis intenſius nitet: villoſa illa fimbria quæ in vulgari lutea eſt, huic omnino candida eſt. Vnicum autem plerunque in ſingulis caulibus florem profert, interdum ſed rarò alterum, rariſſimè tertium, ſingulari quemque vaginula incluſum, iucundiſſimo odore, & lilium conuallium æmulante. Iſtius flos etiam mihi conſpectus eſt, qui quaterna haberet folia deorſum vergentia, totidem ligulas bifidas fimbriam & ſtamina contegentes, & quaterna etiam folia ſurſum reflexa & inuicem amplectẽtia, vt interdum in floribus Natura ludere ſolet. Semẽ anguloſum & rugoſum in ſiliqua triangulari ſatis craſſa, ſed rarò, perficit. Radix illi ſubiacet nodoſa ac veluti geniculata, ſolida, pollicari craſſitudine, incurua, intus candida, ingrati ſaporis, & paulò pòſt feruidiſſimi guſtus, multis fibris ſumma terra hærens, & ſubinde in*

plures

Iris biflora.



plures propagines è lateribus naſcentes diſtributa.

Naſcitur paſſim in Luſitania ſupra Tagum, nunc pingui ſolo, nunc planè lapidoſo. Florentem primùm circa Conimbricam celeberrimam Luſitaniæ academiã, Nouembri collegi, & indè ad nos miſi & attuli, vbi in cubitalem & ampliorem altitudinem nonnunquam excreſcit, frigidiore videlicet & humidiore regione. Bis verò floret, vere cum aliis Iridis generibus, & autumno: quam ob cauſam, Bifloram nuncupaui.

Iris Dalmatica minor.

HVIC *ferè ſimilis eſt, quam doctiſſimus Pancius ad nos miſit, nomine Dalmaticæ minoris inſignitam, niſi quòd paulò anguſtiore folio videtur; flores purpuræ dilutioris, & terni aut quaterni in ſingulis caulibus, oblongiore pediculo inhærentes.*

Iris Dalmatica maior.

DALMATICA *quam idem miſit maior, vulgari, forma & magnitudine ſimilis, ſed flos elegãtior & vnicolor, atque in ſummo caulis faſtigio & ramis confertim naſcens iucundiſſimo ſpectaculo. Vtrique ſemen in breuiore triangula ſiliqua naſcitur anguloſum, pallidum, & rugoſum.*

Florent etiam iſtæ vere, ſed aliis ſeriùs, apud nos ſaltem.

De Iride humili latifolia.

CAP. XII.

ALIVD *Iridis genus humilius in Luſitania ſaxoſis ſupra Olyſipponem locis marinis obſeruaui, foliis ſuperioris, & eadem ferè latitudine, ſed breuioribus multò, cuius radix ſuperiori ſimilis geniculata & obliqua. Eius florem non vidi, ſed ſiliquas inanes in humili & vix terra prominente caule reperi, magnas pro plantæ proportione & triangulares.*

Iris humilis latifolia.

SIMILIS *verò plantæ ſemen ad illuſtrem Dn. de*

Brancion

Brancion miſſum eſt à doctiſſimo Lobelio è Mompelio, ex quo natæ ſunt illi plantæ ſuperiori ſimiles, quæ aut florem cæruleum dilutiorem & quaſi cæleſtem protulerũt, ternis labris deorſum inflexis paulò ſaturatioribus, aut candicantem omnino, aut pallentem, eumq́; nunc ſaturatiorem, nunc dilutiorem, aut purpureum ſiue violaceum, eumq́; duplicem: nam vnus eſt planè nigræ violæ colore, alter verò in foliis deorſum incuruis, ab ipſa folij baſi & exortu, tum ab ipſa fimbria flaua, candidas & ſatis latas lineas ductas habet, quæ limacis dorſum variegatum ferè referunt: ſemen in magnis, vti dixi, ſiliquis, orobi magnitudine, pallidum, rugoſum, & forma ouali. Omnium verò flos inodorus eſt.

Florent omnes vere, nonnunquam etiam autumno: illius quæ pallidum & cæruleum florem fert caules, aliquando pedali altitudine aſſurgunt, reliquarum humiliores ſunt, & vix terra eminent.

IRIS *humilis latifolia hæc nuncupari poteſt, vt illam ab alia humili, quæ anguſto eſt folio, ſecernamus.*

De Iride anguſtifolia.

CAP. XIII.

EST *hæc foliis longè anguſtioribus quàm vulgaris, nigrioribusq́;, longioribus & rigidioribus, quæ confricata ingratum grauemq́; Spatulæ fœtidæ odorem ferè reddunt, minus tamen graueolentem: caules teretes, oblongi, cubitales, interdum longiores, flores quaternos aut quinos ex vaginulis lateralibus promunt, Iridi bulboſæ variæ forma omnino ſimiles, ſed cæruleo colore ſaturato, quibus ſuccedunt oblongæ ſiliquæ ſubrufæ, multo firmiores & magis cartilaginoſæ quàm in aliis ſuperiùs deſcriptis, angulis eminẽtioribus, & quodammodo geminis,* I. Iris anguſtifolia maior.

geminis, quæ dehiſcentes, ſemen duplici ordine digeſtũ vt in aliis Iridibus, planum aliquantulum & anguloſum, oſſeæq́ duritiei, ſubrufeſcente membrana tectum: radices obliquæ, longæ, nodoſæ, vulgari graciliores, foris nigricantes, intus candicantes aut palleſcentes, guſtu feruido, multas longasq́ fibras demittentes.

Plurimam in ampliſſimo quodam prato non procul à Rheno, via qua Maguntia Openheimum iter eſt, inueni. Floret Maio, ſemen maturat Auguſto. In Belgio non niſi in hortis prouenit.

II. Iris anguſtifolia media. ALIVD *genus inuenitur cùm foliis, tum florum forma, ſiliquis, ſemine, caule & radice huic ſimile, ſed humilius & magis ſerotinum, cuius tres ſpecies foliis & floris colore differentes obſeruaſſe memini.*

1. ETENIM *vna foliis ſuperioris eſt, breuioribus tamen, flore præ violacei coloris ſaturitate omnino ferè nigro, ſuperiore paulò pleniore & latiore.*

2. ALTERA *illi ſimilis, ſed humilior adhuc, anguſtioribusq́ foliis, flos etiam anguſtior ſaturatiorisq́ purpuræ, at iam dicta dilutior, & priore intenſior.*

3. TERTIA *huic omnino ſimilis, flos tamen prioris ſpeciei forma, ſed colore plurimum differente: namque tria folia quæ ſurſum erecta ſunt, purpurea, tria verò maiora deorſum reflexa multis lacteis & purpureis lineis ab ipſa folij baſi exorientibus, intermixtis, gratiſſimam varietatem efficiunt. Omnes verò hæ, vti & maior anguſtifolia flore ſunt inodoro: earum autem radix guſtu amaro & feruido.*

Naſcitur hæc nonnullis Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis locis maritimis, veluti non procul Valentia, & Monte Setio, vnde in Belgium delatæ, ſua varietate hortos iſtic exornant. Florent verò hæ paulò ſerius maiore, Iunio videlicet menſe, ſemenq́ matureſcit Septembris initio.

PRIOREM

PRIOREM *appellare licebit Anguſtifoliam ſiue Tenuifoliam Iridem.*

SECVNDVM *genus nonnulli Iridem marinam, quòd in maritimis ſpontè naſcatur, vocarunt, poterit & Anguſtifolia media nuncupari, quia alia eſt Iris anguſtifolia humilior, quæ quibuſdā* χαμαιιρὶς *dicitur.*

Omnes etiam hæ cùm florere incipiunt, & dum florent, à formicis mirum in modum infeſtantur, ſic vt plerunque flores ab illis exeſi conſpiciantur.

CÆTERVM *aliquot alia elegantiſſima Iridum genera partim in Pannonicis montibus & pratis, partim in cultiſſimo C. V. D. Ioannis Aicholtzij medici ac profeſſoris Viennenſis horto obſeruaui: de quibus, & raris aliis plantis, in Pannonicis noſtris obſeruationibus breui, Deo fauente.*

De Hemerocallide Valentina.

CAP. XIIII.

HVIC *plantæ quina aut ſena folia ſunt, oblonga, lata, Narciſſinis ſimilia, ſed planiora, firmioraq́;, & quodammodo cinerei coloris: caulis interdum cubitalis, Leucoij bulboſi maioris craſſitie, ſed firmior, nudus & ſine foliis, qui cacumine, è tenui membrana quinos aut ſenos, interdum plures flores promit, Pſeudonarciſſo luteo ſimiles, odore Lilij, candidos omnino, præter extrema folia (è quorum medio protuberat calyx oblongus) quæ virore quodam aſperſa conſpiciuntur, ſtaminibus ſex in calyce pallentibus: hi defluentes relinquunt ſiliquas anguloſas ſatis magnas, quibus ſemen nigrum continetur, compreſſum, fungoſumq́;: radix bulboſa, magna, candida, lento humore, vti tota planta, plena, membrana nigricante obducta, quæ interdum adnatis* Hemerocallis Valentina.

Narciſſo-

Hemerocallis Valentina.



Narciſſorum modo ſe propagat.

In maritimis circa Valentiam frequens, & toto illo maritimo tractu infra Mompelium, vbi Maio florentem, Julioq́; & Auguſto ſemen matureſcentem magna difficultate ante viginti annos eruimus, tam altè ſabulis mergitur.

MEO *tempore hæc C. V. D. Gulielmo Rondeletio præceptori colendiſſimo Scilla vocabatur, & ex ea Trochiſcos, qui Theriacam ingrediuntur, Mompeliani pharmacopœi parabant: poſteà, Pancratium flore Lilij vocari cœpit. Quæ in Valentino littore naſcitur, D. Joanni Plaçæ medico & profeſſori illius vrbis celeberrimo Hemerocallis nuncupabatur, qui eam Liliaceos quidem flores ferre aſſeuerabat, ſed ſubluteos & palleſcentes. Hiſpani* Amores mios *vocant. Itali quidam* Giglio marino, *apud quos etiam flore rubro aut purpureo inueniri audio, præſertim Oſtienſi portu. Cœpit etiam Conſtantinopoli adferri, Con Zanbac nomine, inter varij generis Narciſſos, atq; eam albos ac odoratos flores proferre, medioq; inter Auguſtum & Septembrem tempore florere adnotabant.* Scilla. Pancratium.

EAS *autem omnes, Gallicam, Hiſpanicam, & Italicam ſæpius in Belgium delatas, atq; etiam ex ſemine natas aliquot annis aluimus: verùm nunquam florere conſpectæ ſunt. Itaque hanc plantam vti & nonnullas alias in illarum claſſem reÿcio, quæ, mutato natali ſolo, nunquam aut rariſſimè florere conſpiciuntur.*

De Scilla Hiſpanica. CAP. XV.

SCILLÆ *hiſtoriam plerięq; dederunt: ſed quia nemo hactenus legitimam eius iconem exhibuit, facere non potui, quin meis obſeruationibus inſererem, cùm eam & primùm emergentem, & florentem, ſeminéque*

Scilla Hiſpanica.



onuſtã, pleriſq; Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis eruerim.

Scilla. EST *verò Scillæ caulis plerunque cubitalis aut maior, rectus, nudus, abſq; foliis, floribus plurimis candidis & ſtellatis ornatus, Aſphodeli minoribus, Ornithogalo maiori (quod quidam Scillam Epimenidiam putant) ſimilibus, qui ab imis florere (vti rectiſſimè Theophraſtus lib. 7. cap. 12.) quemadmodum Aſphodelus incipit: his ſuccedunt valuulæ ſiue ſiliquæ triangulares, & veluti compreſſæ & inanes, in quibus ſemẽ nigrum planum & paleaceum: folia demum emergunt quinque aut ſex lata, ampla, viridia admodum, denſa, humi extenſa & quodammodo carinata: radix craſſa, alba, multipliciter tunicata, lento quodam humore plena, multis fibris craſſiuſculis capillata.*

Copioſè

Scilla Hiſpanica.



Copioſè naſcitur ſupra Olyſipponem, & pleriſq; aliis Luſitaniæ & Hiſpaniæ locis. Floret Auguſto & Septembri, ſemen Octobri & Nouembri matureſcit: folia maturo iam ſemine, & caule exarido emergunt Nouembri & Decembri.

σκίλλα. GRÆCIS σκίλλα, *Latinis item Scilla, cuius Plinius tria genera facit, maſculum foliis albis, feminam nigris, & tertium genus cibis gratum Epimenidium,* Scilla Epimenidia. *quod anguſtius eſt folio & minus aſpero, vel, vt Theophraſtus, læuiori. Hiſpanis* Cebolla albarrana *dicitur.*

Porrò exemplum de duobus piſcatoribus, quod C. V. Rondeletius interdum referre ſolebat, magno argumento eſſe poteſt, Hemerocallidem Valentinorum Scillam Epimenidiam Plinij eſſe non poſſe, vt quidam volunt, quandoquidem eius Epimenidia cibis grata ſit, Valẽtina verò Hemerocallis, ſeu Pancratium flore Lilij Mompelianum, præſens ſit venenum.

De Pancratio. CAP. XVI.

Pancratium PANCRATIO *amplitudo maior eſt, extimæ tunicæ rubent, foliaq́; ampliora & longiora.*

Naſcitur copioſè in mediterraneis Hiſpaniæ, adeò ruſticis exoſum, vt me eius bulbos eruentem admoneret ne deguſtarem, præſentaneum etenim eſſe venenum. Germinat cum Scilla, florentem autem aut ſemen ferẽtem hanc plantam nunquam vidi.

παγκράτιον. Παγκράτιον ἢ σκίλλα *Græcis dicitur, Latinis Pancratium, Hiſpanis, vti ſuperior,* Cebolla albarrana, *vbi eam aſſant, & aquam exſtillantem excipiunt, quam illitu ſcabiem curare aſſerebant.*

DIOSCORIDI *Scillæ vires & præparationem habet, eodemq́; pondere in morbis efficaciter aſſumitur: cui*

tamen

Pancratium.



tamen mitior, quàm Scillæ facultas ineſt. Plinius eaſdem facultates, atq; etiam plures illi tribuit.

De Aſphodelo. CAP. XVII.

SED neq; Aſphodelum, cùm pleriq; deſcripſerint, hic ſubiicere operæpretium erat. Quoniam autem aliquot eius genera nemini adhuc delineata obſeruaui, lectoribus gratificaturum putaui, ſi eorum qualemcunq; hiſtoriam proponerem.

I. Aſphodelus maior. PRIMVS complura habet folia oblonga, anguſta, triangula, & veluti carinata, acuminata, fungoſa & lenta: caulem rotũdum, læuem, bicubitalem interdum, in ramulos ſupernè fiſſum, quem à medio ferè ſurſum verſus exornant multi ſtellati ſex foliorum flores, colore intus albo, foris verò linea purpuraſcente ſingula folia ſecundum longitudinem quaſi diſtinguente (quemadmodum Ornithogali flos viridi linea diſtinctus eſt) totidem quot foliola ſtaminibus in medio: ſemen lignoſum, rugoſum, atrum, & figura triquetra, orbiculari ferè, ſed tribus coſtis eminentioribus capitulo, & ex viridi purpuraſcente continetur, quod capitulo per maturitatem dehiſcente decidit: floret per partes vt verè dicit Theophraſtus, & incipit ab imis, quemadmodum omnes ferè plantæ bulboſæ, quæ ſpicatum aut botryodem florem proferunt. Radices ab vno capite numeroſæ exeunt, oblongæ, exiguis napis ſimiles, ſed inferiore ſede craſſiores, & in fibras deſinentes, ſucci plenæ, candicãtes, ſapore ingrato & acri.

Iſtius radices videre memini, dum Olyſippone Hiſpalim proficiſcerer, aratro erutas, quæ ducentos aut plures ab eodem capite pendentes, eoſq; craſſos admodum napos haberent, vt quinquaginta aut amplius libras

libras totam plantam pendiſſe putem. Itaq; nihil mirum ſi Plinius octoginta ſimul aceruatis ſæpè bulbis referat.

ALTER *huic omnino ſimilis, exceptis caule, qui vnicus neq; ſurculoſus; & flore, qui omnino albus eſt: illius etiam radix non adeò numeroſa.* II. Aſphodelus albus.

Sponte ſua naſcitur vterq; editioribus ſaxoſisq; Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Galliæ quoq; Aquitanicæ & Narbonenſis locis. Apud nos non niſi ſatus prouenit. Floret vterq; illic Martio & Aprili; nobis Maio & etiam Iunio.

TERTIVS, *vt foliis, caule, & floribus ſatis ſimilis eſt ſuperioribus, ita radicibus omnino differt, quæ non glanduloſæ, ſed craſſæ, fibroſæ & numeroſæ ex vno capite naſcuntur: folia Aſphodeli minora & anguſtiora multò, lentioraq; & dilutiore colore, è quorum medio ſex aut plures ex eadem radice aſſurgunt caules cubitales, ramoſi, quos ſine ordine naſcentes exornant flores, ſuperioribus ſimiles, ſed minores, quibus ſuccedunt triãgulares ſiliquæ, primùm virides, deinde albicantes, & in his ſemen rugoſum, triquetrum, altero minus.* III. Aſphodelus minor.

Nullus eſt alius ferè Aſphodelus toto Valentino regno; naſcitur & Gadibus ad ipſum pontem quo continenti iunguntur, & pleriſq; Granatenſis regni locis; etiam olim campo illo lapidoſo ſupra Arelatem ſecus vias collegiſſe memini. Semine ex Hiſpaniis à me delato apud nos ſatus creuit, ſed frigoris impatientiſſimus eſt, peritq; hyeme niſi diligentius aſſeruetur: quam ob cauſam annuum cenſebant; donec me monitore (qui magnas illius plantas hyeme virentes in Hiſpaniis videram) vnam plantam Dn. de Brancion fictili inditam ſeruauit, quæ aliquot iam annis florens bonum ſemen & maturum præbet, quod etiam ſatum nonnunquam prouenit.

Aſphodelus minor III.



GRÆCIS ἀσφόδελος, *Latinis Haſtula regia. Plinius caulem cum floribus Albucum nominat, quem Græcis ἀνθέρικον vocari ſcribit. Idem Aſphodelum aliquibus Heroion appellari tradit, & Dionyſio marem & feminam eſſe. Hiſpani priorem* Gamones *vocant, alterum radice fibroſa Valentini* Gamoncillos, *id eſt paruum Aſphodelum, Granatenſes* Cebolla de Culebra, *hoc eſt Cepam colubrinam appellant.* ἀσφόδελος. Haſtula regia. Albucum. ἀνθέρικον.

An minor hic Aſphodelus alicuius in re medica ſit facultatis, à nemine hactenus intellexi.


De Batatas. CAP. XVIII.

TRIA *huius plantæ genera dum Bæticam peragrarem, obſeruaui, colore externo inter ſe differentia, & etiam guſtus ſuauitate: nam aut cortex externus rubeſcit ſiue purpuraſcit, (& hoc genus præſtantiſſimum cenſetur) aut pallet, aut candidus eſt: omnes verò radices, intus albæ.*

PRODVCIT *autem Cucumeris ſilueſtris modo ſarmenta humi diffuſa ſatis craſſa, & ſucculenta, & læuia, in quibus folia vtcunque carnoſa, ex viridi candicantia, Ari foliis, ſeu potius Spinachij haud diſſimilia: florem an fructum ferat à nemine intelligere potui, ſed radice ſeritur, quæ dodrantalis eſt, raphani prægrandis nonnunquam amplitudine, vtrinque obtuſa.* Batatas.

Spontè naſcitur in nouo orbe, viciniſque inſulis, vnde primùm in Hiſpaniam delata eſt: nunc verò multis Bæticæ maritimis locis ſeritur in talleolas diſſecta; principatum autem obtinet Malacæ nata, quæ & Gades & Hiſpalim vſque deferri ſolet. Habuimus etiam aliquoties in Belgio ſatis recentes. ſed quæ germinare noluerint, frigidiore nimirum regione.

Batatas.



VETERIBVS *hanc plantam ignotam fuiſſe puto, & ideo nullum nomẽ Græcum aut Latinum proditum. Hiſpani vocant* Batatas, *& etiam* Camotes *aut* Amo-es, *quidam etiam* Ajes, *tametſi nonnihil, vt aiunt, in-er ſe differant, ſitq́ꝫ Batatas radix longè & ſuauior & enerior.*

Editur verò ab ipſis incolis aut cruda aut cocta: nũc Hiſpanis etiam in deliciis, ob ſaporis iucunditatem & eneritatem; præſertim ſi cineribus cocta & exteriore elle repurgata & in talleolas ſecta ex pauxillo vino, tillaticiq́ꝫ roſarum liquoris & ſacchari momento eda-ur. Sunt qui ex oleo, aceto, & ſale eſitent: nec deſunt ui ex eiuſmodi radicibus recentibus conſeruas faciant.

De Colocaſia. CAP. XIX.

QVATERNA *aut quina habet folia, carnoſa Nymphææ foliorum modo, ſed neruoſa admodum, & luribus venis ſeu fibris eminentioribus exteriore parte ontexta, incanaq́ꝫ, ampliſſima, vt interdum Perſona-iæ folia magnitudine ſuperent, nunquam madentia, tiam ſi aquis immergantur, in oblongis, craſſis firmisq́ꝫ ediculis naſcentia: radice craſſa, magna, duplici ple-unque & ad lagenæ modum efformata, eduli, quæ liis ad latera adnatis ſe propagat, & fibris aliquot itur.* Colocaſia.

Frequens eſt multis Luſitaniæ locis circa riuos, ex Africa primùm eò delata. Vidi etiam omnium maxi-nam & ampliſſimis foliis Hiſpali in horto arcis Regiæ: biq́ꝫ tamen & florem & fructum ferre negabant.

LVSITANIS *Mauritanos ſecutis* Inhame *dici-ur, Bæticis* Alcolcaz, *quæ vox à Colocaſia proculdubiò leducta eſt, Caſtellanis* Manta de nueſtra Señora, *id*

eſt

Colocaſia.



*ſt Chlamys Diuæ Virginis (à folij nimirum amplitu-
line) quod tamen nomen etiam illi Tuſſilaginis generi
nagnis folijs quod vulgò Petaſites exiſtimatur, com-
nune eſt.*

*Cùm verò hæc planta pleraſq; notas cum veterum
Colocaſia communes habeat, parum abeſt quin mihi
erſuadeam eam ipſam eſſe quæ Græcis* κολοκασία ἢ αἰ- κολοκασία, κύαμος αἰγύπτιος.
γύπτιος ἢ πόντικος κύαμος *dicitur.*

Expetitvr *hæc admodum mancipiis Æthio-
ibus per Luſitaniam, quibus & cruda & cocta eſtur.*

Bellonivs *lib. Obſeruationum cap. 19. refert
Colocaſiam Alexandriæ, vrbibuſq; & pagis vicinis
requentiſſimam in foris venalem inueniri, Ægyptióſ-
ue vix cibum ſumere, quin Colocaſia adponatur cum
arnibus cocta: & cap. 28. negat eam aut florem aut fru-
tum ferre. Eius verba hîc ſubyciam, quoniam veterum
le Faba Ægyptia ſententiam ſuſpectam habet.*

Agri, *inquit, pleriſq; locis conſiti erant Oriza,
Papyro, Muſis, & nonnullis Colocaſia. Quoniam ve-
ò huius Colocaſiæ, quæ etiã Lotus & Faba Ægyptia
ppellatur, fructum magna diligentia fruſtra perqui-
uimus, illiuſq; inquiſitione Cairi incolis ridendos nos
ræbuimus, occaſionem ſumpſimus inquirendi, cur ve-
eres eam Fabam Ægyptiam nominarint, cùm fabis
areat: tandem erroris originem deprehendimus. He-
odotus auctor vetuſtiſſimus, duarum ſtirpium in Ni-
o naſcentium meminit, quarum altera eſſet rotunda
adice, quæ Colocaſia eſt, altera quiddam oliuarum
ucleis quodam capite ferret. Reliqui poſt eum aucto-
es, alter alterius veſtigia ſecuti ad arbitrium deinde
leſcripſerunt. Nam quod Theophraſtus radicem illi
pinoſam tribuit, rem aliter ſe habere experientia ipſa
locet. Dioſcorides Fabam Ægyptiã deſcribens, Theo-
phraſtum*

phraſtum ferè ſecutus eſt, & vtrumque interpretatus Plinius. Hæc Bellonius. Quo loco etiam addit ſiluestrem & ſpontè naſcentem iuxta riuulos in Creta ſe inueniſſe, Ægyptios verò magna diligentia colere.

Illud verò animaduertēdum eſt, facultates à Dioſcoride deſcriptas, ſeminis eſſe, non radicis.

De Ariſaro. CAP. XX.

DVORVM *eſt generum Ariſarum, tametſi veteres vnicùm deſcripſerint.*

1. Ariſarum latifolium. VNVM *Hederæ aut Smilacis ferè folia habet tria aut quatuor, ſatis carnoſa, mollia, viridia, & acria, oblongo pediculo fulta, anteriore parte qua pediculo adhærent vtrinq; pinnata, vti Ari folia, ſed obtuſioribus & quaſi orbiculatis angulis; inter quæ pediculus duorū aut trium digitorum, multis rubris maculis variegatus emicat, cui oblongus flos inſidet, monachalis cuculli ſiue Ariſtolochiæ floris modo efformatus, amplior tamen, extrema ſui parte nigricantis coloris qui deorſum radiatim deſinit, in cæteris candidus, caninum olens, & qui piſtillum obtuſum incuruum & veluti ex cucullo ſpectans continet, vti pictura demōſtrat, quam ipſe cum pleriſq; aliis in Hiſpanica mea peregrinatione expreſſi. radix rotunda & globoſa, Aro minor, foris nigricans, alba intus, interdum verò tuberoſa & oblonga, initio dulcis, deinde acris, non adeò tamen vti Ari radix (licet veteres contrà ſentiant) fibris aliquot ſuper eam expanſis.*

2. *Eſt et aliud huius generis, foliis paulò amplioribus & mollioribus, & rotundioribus aliquantulum, pluribus tuberculis ſe propagans, & oblongas atq; craſſas ſæpius radiculas in latum & obliquum ſpargens.*

ALTE-

Ariſarum latifolium.



II. ALTERVM planè diuerſa eſt forma, quippe cuius folia oblonga ſunt & anguſta, Plantaginis anguſtifoliæ modo ferè, viridia & ſplendentia, quinq; aut ſex, poſt quæ flos ſeu cucullus oblongus & mucronatus, & retrorſum flexus candicanſq; prodit, è cuius rima oblongus veluti vermis exilit, ſpithamæ interdum longitudine, inflexus, nunc purpuraſcente, nunc ex purpureo vireſcente colore, non ille quidem obtuſus extrema parte, ſed acuminatus: fructus racemoſus, albus (non ruber, vt quidam qui non obſeruarunt prodidere) vixq; terra emergens.

Ariſarum anguſtifoliū

Latifolium in collibus Luſitaniæ frequens eſt, ſolo lapidoſo, in ſepibus & iuxta vias: vbi Nouembri & Decembri florens erui, atq; etiam nonnullis Bæturiæ locis, ſolo fecundo & pingui, iuxta ſemitas & hortorum aggeres, vbi Ianuario & Februario. Illius alterum genus vmbroſis ad olearum radices naſcitur poſt vrbem Olyſipponem. Ad nos vtrumq; tranſlatum, nunquam florere voluit: imò niſi magna diligentia fictilibus, vti pleræq; aliæ plantæ ex feruentioribus regionibus delatæ, aſſeruetur, perit.


Anguſtifolium autē ſponte naſcens non vidi: ſed ad nos delatum in hortis alitur, floretq; vere; at Iulio & Auguſto ſine foliis fructum profert. Viuax magis hoc eſt, neq; tanta cura indiget.

ἀρίσαρον, ἀρίς.

GRÆCVM huius plantæ nomen eſt ἀρίσαρον ἢ ἀρίς: Latinum, Ariſarum, ſed & Aris Plinio dicitur, qu[i] eam duplicem facit, albam gemino caule, alteram vn[o] tantùm. Luſitanis Iaro, quod nomen etiam Aro commune eſt. Amatus Luſitanus Frailillos, id eſt, Frater[culos] Hiſpanis appellari aſſerit, fortè quòd eius flos cucullum monachalem æmulatur.

ILLITV nomas ſiſtere tradit Dioſcorides, & fier[i] collyri[…]

Ariſarum anguſtifolium II.



collyria ex ea ad fiſtulas efficacia. Amatus addit Germanos inferiores contra peſtis contagia vti; quod ſatis mirari non poſſum, quandoquidem eius tempore Ariſarum toti Belgio fuerit incognitum, & anno 1565. quo illud Antuerpiam ad amicos Olyſippone miſi, iſtic primum innoteſcere cœperit latifolium.

De Anemone. CAP. XXI.

DVO *Anemones genera veteres faciunt, vnum ſilueſtre, alterum in cultis naſcens, cuius tres ſpecies colore floris differentes recenſent: etenim vna phœniceum florem profert, altera candicantem, aut lacteum, aut purpureum: Galenus lib. 2.* κτ̀ τόπους *luteum etiam inueniri tradit.*

Anemone λειμώνια.

EGO, *præter ſilueſtres, quæ ſunt flore aut candido, aut purpuraſcente, aut luteo, quáſq; nonnulli ſilueſtrē Anemonem Theophraſti,* λειμώνιαν *dictam, eſſe exiſtimant, aliquot genera obſeruaui, non modò florum colore formáq; ſed ipſis etiam foliis inter ſe diſſimilia.*

1\. Anemone latifolia.

VNVM *ſatis amplis foliis circinatæ ferè rotunditatis, per ambitum ſerratis, duris & firmis, longóq; pediculo fultis, ſupernè intenſius virentibus, infernè verò plerumque purpuraſcentibus, vt Cyclaminis (flore odorato) folia propemodum, feruidiſſimi guſtus: radice (nam florentem non vidi) tuberoſa, & oblongiuſcula, Tormentillæ vulgaris æmula, fibris aliquot dependentibus, foris nigra, intus alba, ſolida, ingrati admodum ſaporis, quæq; nauſeam mouens quodammodo ſtrangulet, deinde linguam aliquantulum vellicans.*

Lapidoſis quibuſdam Luſitaniæ collibus iuxta Tagum, atq; etiam inter vepres inueni. Exilit Decembri & Ianuario.

Anemone latifolia 1.



II. Anemone latifolia altera. ALTERIVS folia eiuſdem ſunt amplitudinis, ſed Saniculæ ferè diuiſura initio, & inferiore parte nonnihil purpuraſcentia, mox multifida & tenuius inciſa: deinde emergit caulis nudus, lanuginoſus, pedali altitudine, interdum maior, foliis tribus inciſis tanquam inuolucro florem occludens, qui tandem protuberans in duodena aut quindena foliola diluto rubore purpurea expanditur gratiſſimo aſpectu, medio capitulo nigris ſtaminibus circunſepto, quod, euaneſcente flore, veluti primum emergentis Aſparagi thyrſulus intumeſcens, ex ſemine plano & villoſo ſeu lanuginoſo conflatur, & per maturitatem leuiſſimo flatu decutitur & eius arbitrio fertur: radix nouellarum ex ſemine plantarum exigua oliuæ ſimilis eſt, vetuſtior autem nodoſa & articulata, fibris aliquot, per quas alimentum trahit, ſepta, atq; particulatim fracta ſeritur & propagatur.

Eam nonnullis Germaniæ locis ſecundum Rhenum in aprico florentem Martio vidi. Apud nos in hortis alitur, & ante hyemem prodit, vere autem floret, nonnunquam etiam autumno: ſemen Maio matureſcit.

2. Inuenitur & flore candicante per omnia ſimilis in cæteris: folia tamen dilutius virẽt, & paulò ſerius floret.

III. Anemone tenuifolia. TERTIVM genus multa folia habet, primo vere, dum prodire incipiunt, purpuraſcentia, deinde ex viridi palleſcentia, multifida, Coriandri, aut ſilueſtris Anemones foliis ſimilia, trigemina plerunq; cohærentia, hirſuta, & in terram, vt Dioſcorides ait, inclinãtia: inter quæ caulis exilit nudus quidem, ſed quem tria foliola trifariam profundius inciſa media parte amplectuntur, quæ aliquandiu florem occultant, donec ſolis calore ex his ſeſe explicans & emergens, expanditur in quatuordecim aut quindecim foliola extrema parte obtuſa, & quã in ſuperiore minora, coloreq; nunc cæruleo,

nunc

Anemone latifolia altera II.



Anemone tenuifolia III.



nunc albo, nunc rubro, villis ſeu ſtaminibus exiguis pallidis medium florem occupantibus: decidente flore relinquitur capitulum Ranunculi ferè, & ſemen etiam ſimile, non lanuginoſum vti ſuperioris: radix ſecundæ ſimilis geniculis articulata, fibris hinc inde expanſis, foris nigra, intus candida, quæ etiam ſeparari poteſt, & fragmentis ſeri.


Alitur etiam hæc in hortis, floretq́ vere, ſemen cum alia matureſcit, aut paulò ſerius.

QVARTÆ *folia ſub hyemem prodeunt quina aut ſena, multò tenuioribus & crebrioribus inciſuris diuiſa, quàm proximè deſcriptæ, Bulbocaſtani, ſiue Oenanthes primæ foliis non multum diſſimilia, carnoſiora tamen ſiue denſiora, & dilutiore virore: caulis deinde inter ea exilit pedalis, aut maior, lanuginoſus, vnicus & nudus vti ſuperiorum, quem etiam ambiunt tria foliola minutim diſſecta florem occulentia, qui, vt in aliis, caloribus excitatus aperitur, maiore quàm ſuperiorum flores amplitudine, & ſex tantùm foliis conſtans aut purpureis ſeu violaceis, aut rubris, aut (vt à quibuſdã intellexi) albis, externa parte lanuginoſis, eius medium capillamentis nigris occupantibus, quibus ſuccedunt nigra capitula quæ nunquam apud nos ſemen perfecerunt: radix nodoſa quidem, ſed obliqua & corallij modo ramoſa admodumq́ fragilis, foris nigricans, intus verò alba.* IIII. Anemone anguſtifolia altera.

Hæc etiam in hortis noſtris Aprili floret, & radice propagatur: nam vel tenuiſſima eius fragmenta facilè comprehendunt & repullulant.

2. SIMILIS *planè cùm foliis, tum radice ex Italia miſſa fuit ad illuſtrem virum Dn. de Brancion (in cuius horto omnes præter primam conſpiciuntur) quam flore cæruleo multiplici dicebant; ſed eius florem nondũ* Anemone multiplex cærulea.

Anemone tenuifolia altera IIII.



conſpicere licuit. Eandem etiam flore multiplici albo inueniri intelligo.

3. S E D *omnium pulcherrima, quæ Conſtantinopoli delata, eidem etiam communicata fuit, foliis ſuperiori ſimilibus, ſed breuioribus aliquantulum, radiceq́; ſecūdum aut tertium genus planè æmulante: caule etiam pedali aut ampliore, proximè deſcriptæ ſimili, cuius flos cocci modo rubet & multiplex eſt, ſex aut pluribus foliis maiuſculis interiora minora Bellidisq́; floris ſimilia amplectentibus. Rara admodum hæc eſt, floretque cum ſuperioribus.* Anemone multiplex rubra.

S V P E R I O R E *hyeme quandam radicem Conſtantinopoli attulit magnificus vir Dn. Philibertus de Bruxella,* Giul catamer lalé *nomine inſignitam, quam generis cuiuſdam Anemones, vt erat, ſtatim iudicaui, & quoniam* catamer *ſiue* catemer lalé *lingua Sclauonica & Turcica multiplicem florem ſonat, Anemonem illam multiplicem exiſtimabam, præſertim cùm radix cum illa conueniret: ſed ſubſequentis æſtatis initio folia edidit, ſecundo generi ſimilia, remiſſiore tamen vigore prædita, & floris rudimentum, quod ad frugem peruenire non potuit.* Giul catamer.


S V N T *verò omnia Anemones genera ſingulari caule, interdum duobus aut tribus ex eadem radice prodeuntibus, ſed ſine ramis: non igitur candidè agunt, qui nobis eas caule multifido & ramoſo expreſſas proponūt.*

R E F E R T *diligentiſſimus Anguillara ſe in montibus altis obſeruaſſe genus multifido folio & lanuginoſo, cuius flos quatuor duntaxat foliis conſtat Papaueris modo, aut ruber, aut albus, aut cæruleus: & in Apulia genus illud inueniri, quod Galenus flore luteo deſcribit.*

D I C I T V R *autem Græcis* ἀνεμώνη, *Plinio Anemona & Phenion, Gaza Fremium vertit: vulgare* ἀνεμώνη. Phenion.

V 5 *nomen*

Anemone multiplex rubra 3.



nomen non noui, Ruellius tamen Coquelourdes, Coclez, & Paſſefleurs *Gallis vocari aſſerit.*

CÆTERVM, *relictis Neotericorum variis de Anemone ſententiis: eius vis acris eſt, & proximè ad Ranunculi facultates accedere videtur. Plinius auctor eſt quæ phœniceum florem habet, radice contrita, cuicunq; animalium impoſita, hulcus facere ſeptica vi.*

De Ranunculo autumnali.

CAP. XXII.


FOLIA *huic plantæ ſunt quinq; ſex, aut plura, rotunda ferè, per ambitum ſerrata, in terra expanſa, ſplendentia, & veluti bullata ſupernè, neruoſa & lanuginoſa infernè, guſtu primùm ingrato, ſed poſtmodum feruentiſſimo: inter folia exiliunt aliquot pediculi dodrantales ferè vel breuiores, hirſuti, ſinguli ſuum florē ferentes luteum, ſplendentem, odoratum, nunc ſenis, nunc octonis aut pluribus foliis conſtantem, quibus vento excuſſis, capitula aliorum ranunculorum apparent, aut fragi rudimento ſimilia, pallida: radix multis craſſisq; & oblongiuſculis tuberculis conſtat, Aſphodeli modo formata, ſed longè minor, quæ ſeparari & pangi poteſt.* Ranunculus autumnalis.

Frequens eſt Olyſippone inter Olineta, & pleriſque Bæticæ locis, vbi florentem primùm Nouembri collegi, & in Belgium miſi. Nobis etiam Octobri & Nouembri floret, & folia tota hyeme retinet in menſem Maiū vſque, quæ, paulò antè quàm florere incipiat, repullulant.

SVNT *qui* Montan *in Luſitania nominent, (quo nomine etiam ferulacea quædam planta apud eos inſignitur) & ex lacte propinent ad menſtrua prouocanda.*

NON

Ranunculus autumnalis.



NON *multum abſimili radice, ſed tuberculis breuioribus & parte extrema obtuſis, vt ferè in Chelidonio minore, miſſum fuit ad nos à clariſs. Pancio Ranunculi genus, quem Illyricum vocabat. Folia illi nouo vere quaterna aut quina exeunt oblonga & multifida, candida denſaq́; lanugine obſita: caulis interdum cubitalis, lanuginoſus, foliis minoribus ſeptus & ramulis aliquot brachiatus, quibus flores aurei valdeq́; ſplendentes inſident, ex quinq; foliis compoſiti, interdum gemelli, ſed inodori: radix ex ſe alias radices matri ſimiles, ſed minores longis villis adnexas promit, quæ primo vere cum matre germinant, & ſecundo anno florem gerunt.* Ranunculus Pannonicus

ETIAM *ſponte prouenit iſte Ranunculus copiosè in Hamburgenſi monte duobus ſupra Poſonium miliaribus, quà occaſum ſpectat, præſertim iis locis vbi talpæ terram eruerunt, vbi ſuperiore Maio florentem eruimus. Apud nos paulò ſeriùs floret.*

An illius vires exploratæ ſint in re medica alicuius eſſe momenti, à nemine hactenus intellexi.


De Ariſtolochia. CAP. XXIII.

TRIA *Ariſtolochiæ genera Dioſcorides conſtituit, rotundam, longam, clematitim: Plinius quartum addit, piſtolochiam.*

ROTVNDÆ *vnicam ſpeciem veteres faciunt,* I.
Anguillara plures inueniri ſcribit, ego duas ſolummodo obſeruaui.

Prior multis ex vna radice germinibus, cubitalibuſq́; interdum palmitibus conſtat, quadrangulis, quibus ex interuallis folia inhærent mediæ inter maluam & hederam magnitudinis, mollia, venoſa, colore ex viridi nigricante, breui pediculo: his incumbunt oblongi flores, Ariſtolochia rotunda.

Ariſtolochia rotunda 1.



lores, caui, tubæ modo, ex purpura nigri, teſte Dioſco-
ide, quorum labrum prominulum ſeu extima pars la-
ior eſt quàm in Longæ aut Clematidis flore, & tota ni-
ricans: his ſuccedit fructus rotundus, parui Melope-
onis forma, qui multa grana continet ordine diſpoſita,
ata, nigricantia: radix ampla, tuberoſa, rugoſa, foris
igro, intus buxeo colore, cortice craſſo, & (vt Theo-
hraſtus ait) carni adhærente.

Naſcitur pingui ſolo, in pratis & humidioribus
grorum marginibus Hiſpaniæ, & Narbonenſis Gal-
iæ, atq; etiam, ſicut intelligo, Italiæ. Floret calidiori-
us regionibus ineũte vere, hîc non niſi Maio & Iunio.


Altera ramulis ſeu palmitibus prioris, foliis Lõ- Ariſtolochia rotunda altera.
æ ferè forma & colore, ſed maioribus, longioreq; quàm
iperioris pediculo: flos longior, ex albo purpuraſcens,
itus nigricans, Longæ flori ſimilis: fructus priore lon-
ior, & pyri in ſimilitudinem turbinatus, gracilior ta-
en quàm Longæ, ſemine prioris rufo: minore radicis
ıbere, in reliquis ſuperiori ſimili.

Floret quo ſuperior tempore, ſed non niſi campeſtri-
is & inter ſegetes naſcentem vidi. Superiore firmior
t, & hyemis iniuriarum tolerantior: nam prior ma-
re diligentia apud nos aſſeruanda.

LONGÆ *cauliculi etiam quadrati, duos palmos* II.
ngi, interdum longiores, multis alis brachiati, & hu- Ariſtolochia longa.
i vti Rotundæ, diffuſi: folia quàm illius minora, fir-
iora, dilutiore colore, longioreq; pediculo, Soldanellæ
rè forma: flos oblongus, concauus, ex viridi candicans,
otundæ alterius effigie, ſed extima parte colore magis
rbaceo, intus vt in reliquis hirſutus: fructus pyri in
orem turbinatur, qui per maturitatem reliquarum
riſtolochiarum modo dehiſcens, ſemen oſtendit latũ,
rufum. Huius radix digiti craſſitudine eſt Dioſco-

ridi

Ariſtolochia longa II.



ridi & dodrantali longitudine, quod de triennibus & iunioribus plantis intelligendum autumo: nam adultarum longè amplior eſt magnitudo, ſiquidē multas eruiſſe memini quæ craſſitudine brachium, longitudine dimidium cubitum æquarent. Adultæ vero omnes plerumque extrema parte obtuſæ ſunt, & æquali ferè per totam longitudinem craſſitie, & ſubinde circa extremum ramoſæ: iuniores gracileſcunt, multáſque fibras habent.

Prouenit locis campeſtribus inter ſegetes in Gallia Narbonenſi, & quibuſdam vinetis. Floret & ſemen profert eodem quo rotunda tempore.


Sed & differentia quædam in Longa obſeruari poteſt: nam Hiſpanicæ (tametſi huic ferè per omnia ſimilis) flos diligentiùs inſpicientibus nonnihil differre conſpicitur, quippe cuius extima pars interiore parte purpurei coloris ſit, qui in alia herbaceus eſt: radix item huius extrema parte non vt altera gracilis eſt in nouellis plantis, ſed plerumque obtuſior.

Naſcitur inter vites in Hiſpaniis, regno Valentino frequentiſſima, vbi Martio florentem & ſemen ferentem conſpexi. vtraq; frigoris apud nos impatiēs magna cura aſſeruari debet.

CLEMATITIS iam dictas magnitudine ſuperat, caule firmo, rotundo & ſtriato, ſupra cubitalem altitudinem aſſurgente: huius folia reliquis multò ampliora, ex viridi palleſcentia, longo pediculo, forma Longam referentia: flos pallidus, copioſus, Longæ propemodum forma, quo decidente, fructus ſuccedit reliquis maior, exigui mali magnitudine, ſemen continens vt reliquarum Ariſtolochiarum. Huius radix, quæ reliquis cum grauitate quadam odoratior eſt, tenuis & nunquam ad minimi digiti craſſitudinem accedens, longè latéque III. Ariſtolochia clematitis.

X ſerpit,

Ariſtolochia clematitis III.



rpit, & altiſſimè mergitur, adeò viuax, vt etiam fru-
ulatim conciſa facillimè renaſcatur, & magna cum
ifficultate eruatur: qua de cauſa ſubinde moleſtiam iis
dfert, qui eam ſemel in ſuis hortis ſeuerint.


Loca amat editiora, & nonnullis Narbonenſis Gal-
e vinetis adeò frequens, vt vina ab illius odore vitium
ntrahant. Inuenitur & in pleriſque aliis Galliæ,
iſpaniæ, Germaniæ cùm ſuperioris tum inferioris lo-
. Floret quo reliquæ tempore.

HVC referendum videtur id Ariſtolochiæ genus, Ariſtolochia clematitis altera.
od circa Hiſpalim itinere Olyſipponenſi, plurimiſq;
is Bæticæ locis, in dumetis, vepribus, & vetuſtis
ibuſdam oleis obſeruaui: longis, ramoſis, tenuibus,
iatiſq; ſarmentis, quibus vicinas ſepes, & interdum
buſculas ſuperat, iis ſeſe conuoluens & implicans cō-
uoli aut Lupuli modo. Folia illi Ariſtolochiæ ge-
ibus ſimilia, ſiue potius Hederæ, firma, per extre-
m acuminata, ſupernè læuia & viridia, infernè ex
pura albicantia, pediculo longo: flos Ariſtolochiæ
gæ, recuruus, oblongus, ex purpura niger, intus tenui
ugine plenus, longiſſimo omnium pediculo inſidens:
ctus reliquis Ariſtolochiis ſimilis, vt ex illius rudi-
nto colligere licuit, ſimile etiam puto ſemen: radix
longa, ſarmenticia, Smilacis aſperæ modo (cui per-
ilis eſt) nunc per ſumma ſerpens, mox altè ſub terra
condens, colore pallido, non ingrati ſaporis, ſed gu-
aliquantulum adſtringentis cum manifeſto calore.
ota planta odorata eſt, ſemperq; iſtic viret, Ianua-
Februarioq; florens. Naſcitur pingui ſolo, iis quæ
memoraui locis.

Huius neminem meminiſſe comperi, præter vnum
um Bellonium, qui eam in Creta obſeruaſſe ſcribit
. Obſeruationum cap. 17.

X 2 PISTO-

Ariſtolochia Clematitis III.



PISTOLOCHIA *cauliculos magna ex parte pedales habet, nonnunquam maiores, anguloſos, ſtriatos, & vt Ariſtolochia longa ramoſos, ſed tenuiores: folia Longæ ſimilia, nigriora, minora, rugoſiora, & aliquã-ulum in ambitu ſinuoſa: florem Rotundæ priori ſimi-em, minorem tamen, & aliquando nigrum, interdum x herbido luteum: fructum Rotundæ ſimilitudine, at-amen minorem, ſemine etiam ſimili: Denſis eſt radicis apillamentis, iunci, vt Plinius ait, plenioris craſſitu-line, buxeo colore.* IIII. Piſtolochia.

Prouenit in Oliuetis, & petroſis Hiſpaniæ, Galliæq; Narbonenſis locis. Seriùs floret reliquis Ariſtolochia-um generibus: ac hoc peculiare eius fructus habet, vt, lum maturuit, ea qua pediculo adhæret parte dehiſcat, Longæ verò ab extrema parte.

SPECTANTVR *hæ omnes in Belgicis hortis, præ-er vtramq; Clematitim: priorem, quòd nemo rei her-ariæ ſtudioſus ſibi cum illa negotium eſſe velit: alterã erò, quòd neq; ipſa, neq; eius ſemina vnquam eò per-ata ſint, vt ſeri poſſent.*

PORRO *hæc planta Græcis* ἀριστολοχία *nuncupa-ur, quòd, vt refert Dioſcorides,* ἄριστα ταῖς λοχείαις, *id ſt optima puerperis exiſtimetur, Romanis Plinio te-e, Malum terræ, quod nomen Rotundæ potiſſimum nuenit.* ἀριστολοχία. Malum terræ.


Prior ἀριστολοχία στρογγύλη ἢ θήλεια, *Ariſtolochia tunda & femina vocatur.*

Altera ἀριστολοχία μακρὰ ἢ ἄῤῥην, *Ariſtolochia nga & mas, item* δακτυλῖτις, *Dactylitis nonnullis ppellatur.*

Tertia κληματῖτις, *Clematitis, quaſi ſarmenticia gnominatur. Huius primum genus à pleriſq; pro le-tima Longa vſurpatum, Gallis* Sarraſine, *Narbo-*

 nenſibus

Piſtolochia IIII.



nenſibus Fauterne *dicitur: Alterum, Bæticis* çarçaparilla. çarça-parilla.

Quartam Plinius Piſtolochiam vocat, quam nonnullos à numeroſis radicis capillamentis πολύρριζον *cognominare ſcribit lib.25. cap.8.* πολύρριζον.

CÆTERVM *Ariſtolochiæ radix, teſte Galeno lib.6. de ſimp. medic. facult. multo eſt ad medicationes vtiliſſima, amara & ſubacris. Sed ex illis omnium ſubtiliſſima eſt rotunda: Longa minus quidem tenuitatis obtinet quàm rotunda, abſtergens ac digerens, ſed non minus calfaciens, imò forſan plus quoq;. Itaque in quibus vſus eſt modicæ abſterſionis, commodior eſt longa: at in quibus craſſum humorem validius extenuare oportet, illic vſus eſt rotundæ: quæ Clematitis appellatur, fragrantior eſt, itaq; ea ad vnguenta vtuntur vnguentarij, ſed ad ſanationes infirmior.*

Plinius Piſtolochiam conuulſis, contuſis, ex alto præcipitatis, radice pota ex aqua, vtiliſſimã eſſe tradit.

Paulus Ægineta Ariſtolochiam Clematitin inter medicamenta ſimplicia quæ bilem purgant recenſet. Aëtius, tetrabibli primæ ſermone tertio, pituitam ac bilem euacuare teſtis eſt.

Cùm igitur Clematitis huiuſmodi facultate prædita ſit, & illius vſus in omnibus ferè iis morbis commendetur, quibus vtilem çarçamparillam ſuam ſcribunt Hiſpani: Clematitis item illa peregrina, & meo iudicio legitima, multis notis cum çarçæparillæ deſcriptione conueniat, & eodem nomine ab incolis inſigniatur: parum abeſt, quin mihi perſuadeam, eam eſſe veram çarçamparillam, aut illi congenerem plantam.

De Canna Indica recentiorum.

CAP. XXIIII.

Canna Indica.

HVIC *plantæ vnus primùm, deinde plures ſtolones ex eadem radice prodeunt, cubiti vnius, interdum duorum altitudine, digiti craſſitie, nodoſi, Arundinis modo, quem circa genicula ambiunt multa ampla folia, neruoſa & firma quidem illa, foliorum Muſæ inſtar, ſed tenuia, & herbaceo virore palleſcentia, & per extremum mucronata, quæ dum primũ erumpunt, chartaceorum corniculorum modo circumuoluta conſpiciuntur, quæ guſtata herbaceum quendam ſaporem primùn referunt, qui paulò pòſt nonnihil acrimoniæ coniun ctum habere deprehenditur: extremo cauli inſident ali quot flores, Gladioli floribus forma ſimiles, ſed colore ni tido minij elegantiſſimi, capitello cuidam inhærente hirſuto, quod cum flore nondum aperto Cancri ſiue Lo cuſtæ marinæ chelam quodammodo refert: floribus de ciduis aut marcidis, capitula iſta augentur, fiúntqu triangula & veluti ſpinoſa vt Ricini fructus, in quib continetur ſemen per maturitatem fuſcum & atrum rotundum, Fabæ veterum, ſiue fructus Loti magnitu dine: radix nodoſa & craſſioribus fibris ſtipata, ali radicis nodos adnaſcentes habens, qui ſtolones etiam matri ſimiles proferunt.*

Luſitaniæ quibuſdam monaſteriis admodum fr quentem vidi, ſub ſtillicidiis ad muros ſatam, & etia media hyeme florentem: nunc paſſim abs rei herbar ſtudioſis alitur in fictilibus ornatus gratia, rarò tam apud nos peruenit ad frugem, quòd ſerò admodum ge minet.

QVO *nomine veteribus ſit dicta hæc planta, m ignorare ingenuè profiteor. Nonnulli hac ætate, qu*

illi

Canna Indica.



illius flos nondum apertus cancri chelas forma & colore referat, florem Cancri nuncuparunt: alij Cannam Indicam, quoniam ex America primùm delata ſit, & eius ſtolones cannarum ſiue arundinum modo nodoſi ſint appellare maluerunt: Hiſpani & Luſitani Cuentas *dicunt, à numerando videlicet, quòd ex iſtius fructu, vti ex tenellis deciduiſq; malis arantiis, ſphærulæ precariæ fieri ſoleant.*

De Telephio Hiſpanico.

CAP. XXV.

NON *ignoro hanc plantam cum aliquot aliis iam deſcriptis, in Coronariarum claſſem minimè fuiſſe referendam: quoniam verò pleraq; Coronariæ radice ſunt tuberoſa, globoſa, aut geniculis articulata, eas plantas quæ radicem haberent non admodum illis diſſimilem commodè ab ipſis ſegregare non potui, tametſi nulla florum elegantia eſſent commendabiles, præſertim cùm paucæ ſint, nec peculiarem claſſem mereri videantur.*

Telephium Hiſpanicum

HABET *autem duos aut tres pluréſve caules ex radice prodeuntes, cubitales, ſucculentos, procumbentes, in quibus ordinata ſunt folia, hoc eſt ex interuallis bina ſemper inter ſe oppoſita, vt in Myrto, craſſa & ſucci plena quemadmodũ Craſſula maior, ſed maiora, & magis carnoſa: flos in extremis ramis quaſi vmbellatim naſcitur, quemadmodum in Craſſula, pallidus: radices illi plurimæ glanduloſæ, Craſſulæ radicibus ſimiles. Viuax admodum eſt, adeò vt rami eius in terram depacti ſtatim radices agant.*

Naſcitur in Hiſpania vmbroſis quibuſdam frigidioribuſq; locis: ad nos delata, facilè, vt dixi, comprehendit, adeóque aucta eſt, vt pauci apud nos ſint horti in quibus

Telephium Hiſpanicum.



quibus non inueniatur. Floret ſeriùs cum Craſſula, & Cepæa Pancij.

TELEPHIVM *vocabant Hiſpani, mihi Craſſulæ genus potius videtur, quandoquidem cærulea folia non habet, ſed ex herbaceo pallentia, Portulacæ ſatiuæ lætioris triplo aut quadruplo maiora. Sed hæc & Craſſula ab Erucis non minus infeſtantur quàm Braſſica.*

AD *Pannonicarum Alpium radices locis vmbroſis ſimilis omnino inuenitur, modò eadem non ſit.*

De Cotyledone. CAP. XXVI.

COTYLEDONIS *ſiue Vmbilici Veneris hiſtoriam hîc texere non eſt mei inſtituti, cùm à pleriſque deſcripta ſit. Cùm verò nonnulli alibi inueniri negent, quàm in veteribus muris, facere non potui, quin hîc admonerem me pleriſq; Hiſpaniæ & Luſitaniæ, dum eas peragrarem, locis, non modò in veteribus muris parietinisq́; ſponte naſcentem obſeruaſſe: ſed etiam in tectis, rupibus, terreis muris, humi interdum ſolo fertili, ad Olearum, Chamæryphes, & Corrudæ radices, atque etiam in annoſis Suberis arboribus.*

SALMANTICENSES *vulgò* Vaſillos, *id eſt Acetabulum aut vaſculum vocant, à concaua capacitate.*

CORO-

CORONARIAS herbas deſcripſimus quæ radice ſunt bulboſa & tuberoſa, quibus aliquot alias ſimili propemodum radice connexuimus: ſequentur nũc coronariæ radice gracili aut fibroſa, atque etiam aliæ ſtirpes ſimili radice præditæ.

De Leucoio marino.

CAP. XXVII.

ISTIVS plantæ duo genera & in Hiſpaniis & Narbonenſi Gallia obſeruauimus, vnum latius multo & maius, alterum minus & exile.

I. Leucoium marinum maius.


MAIORI caulis eſt pedalis, interdum maior, ramoſus admodum, & humi procumbens: folia oblonga, craſſa, mollia, canentia, & veluti lanuginoſa, verùm Cichorij aut Erucæ modo diuiſa: flores ſecundum ramulos odorati, ex quatuor foliis, vt in reliquis Leucoiis, congeſti, colore dilutioris purpuræ, ſed quodammodo obſoletæ: ſiliquæ oblongæ, planæ, vt vulgaris Leucoij, duplicem planorum & ſubruforum ſeminum ordinem intercurrente membrana cõtinent: radix multifida, quæ non perennis eſt, ſed poſtquam planta florem & ſemen protulit (quod ſecundo plerunq; anno, interdum & tertio fieri ſolet) perit. Æſtate floret.

II. Leucoium marinum minus.

MINORI cauliculi dodrantales, exiles & ſatis firmi: folia priori ſimilia, mollia item & incana, ſed minora, neq; adeò craſſa aut diuiſa: flores in ramulis ſuperiori minores, coloris pulcherrimè rubentis, & dum flacceſcere incipiunt ſaturatiores, quales Leucoij vulgaris rubri flores, & odorati quidem illi, verùm minus ſuperiore: ſiliquulæ ſuccedũt oblongæ, teretes, ſemine exili & rufo plenæ. Floret Iulio & Auguſto eodem quo ſatum eſt anno, deinde perit.

Naſcitur

Leucoium marinum minus II.



Naſcitur vtrumq; Mediterranei maris littoribus per Hiſpanias & Narbonenſem Galliam: ſed minus multò frequentiſſimè.

NOS *Leucoij marini nomen indidimus, quòd ſponè in maritimis naſcatur, vnde ad nos delatum in hortis colitur. Minus ob coloris in flore mutationem nonnulli Mompeliani, dum iſtic eſſem, Tripolium vocare ſolebant: tametſi iisdem locis natum Tripolium legitimum obſeruare potuiſſent.*

Vtrumque calido guſtu eſt: ſed minus ſua acredine vehementiùs linguam vellicat.

De Lychnide ſilueſtri.

CAP. XXVIII.


LYCHNIDIS *ſilueſtris variæ ſpecies inueniuntur. Iam præter vulgares cùm ſimplici tum multiplici flore, clariſſ. Dodonæo atq; aliis deſcriptas, aliquot adhuc obſeruaui.*

VNA *geniculatos habet cauliculos, pluresq; alas facientes, pedales aut maiores: folia in ſingulis geniculis bina, ternáve, interdum plura, anguſtiora quàm reliquarum, in virore candicantia & quaſi cæſia: flores in ſummis ramulis, ex quinis, non pluribus foliis biſulcis congeſtos, interiore parte candidos, exteriore purpuraſcentes aliquantulum, &, antequàm omnino tabeſcant, ſeſe contrahentes & circumuoluentes: calyces duros admodum, breues & ſubrotundos, ſemen paruum, rotundum, Papaueris rhœadis, ſed cinereum continentes: radicem ſatis craſſam, candidam, multifidam, ed non perennem.* I.


ALTERA *caulibus eſt ſuperiore craſſioribus, rotundis atq; etiã geniculatis: foliis per genicula ſemper* II.

binis

Lychnis ſilueſtris 1.



Lychnis ſilueſtris II.



binis ordine diſpoſitis, ſuperioribus colore ſimilibus, ſed multò maioribus: floribus pluribus in vmbella congeſtis, pulchris, rubris, quinquepartito etiam diuiſis, non tamen biſulcis: ſemen in vaſculis tenerioribus ſuperiori ſimile continetur: radix verò huic craſſior eſt, magiſq́ue fibroſa, hyeme tamen vt illa perit.

III. TERTIÆ *caulis eſt geniculatus, ſed paucioribus ramis concauus: folia etiam bina ex ſingulis geniculis prodeuntia, ſed ſuperioribus magis virentia, & firmiora: flos in ſingulis alis, ſuperiori, hoc eſt ſecundæ ſimilis ferè, ſed maior & obſoletioris coloris, cuiuſq́ue foliola biſida ſunt vt in priore: calyx ſuperioribus craſſior, tunica, ſiue membrana dura & valdè ſtriata tegitur cinerei coloris, in quo ſemen cinereum reliquis maius: radice nititur ſingulari, nec admodum fibroſa, quæ etiam ingruente hyeme perit.*

IIII. QVARTA *ex ſingulis geniculis pedales ramos pro-
fert, geniculatos: folia priori ferè ſimilia, ſed aliquantu-
lum latiora, & intenſo virore ferè nigricantia: flores e
quinis etiam foliolis conſtantes, rubentes: ſemen in caly
culis ſimile ſuperioribus, ſed minus & ſubnigrum: ra
dix craſſior ſecundæ ſimilis, hyeme etiam corrumpitur*


V. QVINTÆ *multi caules ex vna radice prodeunt
etiam geniculati & rotundi, ſed lanuginoſi, longiore
infirmiores, & in terram procumbentes: folia in ſingu
lis bina, oblonga, mollia, & lanugine quadam caneſc
tia, inter quæ flores alternatim ſecundum ramulorum
longitudinem enaſcũtur ſuperioribus forma ſimiles, ſe
maiores & dilutiore colore rubeſcentes, vel vt ita dica
incarnati: ſemen in valuulis ſuperioribus ſimile, ſubr
ſum: radix craſſa & fibroſa, quæ tamen ſecundum a
num plerunq́ue non ſuperat.*

SEXT


Lychnis ſilueſtris III.



Lychnis ſilueſtris IIII.



Lychnis ſilueſtris v.



VI. SEXTA *omnium minima, cauliculo aſſurgit circiter palmum alto, geniculato, tenui, lanuginoſo; foliis ad ſingula internodia binis, oblongiuſculis, exiguis, lanuginoſis: flores inordinati & alternatim ex ſingulis geniculis prodeunt, parui, ex pulcherrimo rubro colore purpuraſcẽtes, & calyculo oblongo lanuginoſoq; inſidẽtes: radix tenuis & inutilis.*

Naſcuntur ſponte quatuor priores in aruis & inter ſegetes pingui ſolo, pleriſque Caſtellæ veteris locis: apud nos in hortis florent eodem quo ſatæ ſunt anno, à menſe Maio in autumnum vſque: prior tamen difficilius prouenit; ſecunda autem & quarta ſeipſas ſerunt & ante hyemem prodeunt. Omnes verò hæ, vbi adoleuerint, lento quodam & glutinoſo humore ſuperiore parte illitæ videntur: at quarta maximè, cui plerunq; & culices, paruæq; muſcæ & formicæ tanquam viſco captæ inhærent. Quinta in marginibus quorundam agrorum iſtic inuenitur, floretq; quo reliquæ tempore. Sexta collibus Salmanticæ vicinis inter ſaxa prouenit, & Maio floret.

Behen. DVAS *priores Salmanticæ Behen appellabant, album videlicet & rubrum: tertiam Ocymoides. Sed omnes ad Lychnidis ſilueſtris genus commodiùs referri poſſe exiſtimo, cui perquam ſimiles ſunt, omnibúſque ferè notis conueniunt. Sunt qui alteram & quartam inter Armerios flores referant: ſemen tamen Lychnidi ſimile & minimè planum, aliæq; notæ eorum ſentẽtiam conuellunt. Nec deſunt qui ſecundam Odontidem Plinij eſſe velint, quorum ſententiæ Odontitis hiſtoria planè refragatur. Prior, quæ videlicet albo eſt flore, vulgò Salmanticenſium* Collejas *dicitur.*

Ocymoides.

Odontitis.

Quibus facultatibus ſint præditæ, compertum non habeo: Omnes verò deguſtatæ, ſubamaro ſapore deprehenduntur.

Lychnis ſilueſtris VI.



De Seſamoide magno Salmantico.

CAP. XXIX.

Seſamoides magnum Salmanticũ.

AD *Lychnidis ſilueſtris etiam genera non ineptè referri poſſe puto eam plantam, quam nonnulli Salmãticæ Seſamoides magnum nuncupabant, aliquot cauliculis pedalibus, interdum cubitalibus ex vna radice prodeuntibus, rotundis, geniculatis; foliis ferè oleæ, cæſiis: floribus in extremis cauliculis ſpicatim aut racematim confertis, exiguis, ex pallido herbaceis: ſemen in calyculis ſubrotundis Lychnidi iam deſcriptæ ſimile, cinereum, humor item quidam glutinoſus & viſcidus extremos ramulos obſidet: radix ſatis craſſa, candida, & perennis.*

Naſcitur ea lapidoſo & arido ſolo circa Salmanticam & Narbonenſi agro, floretq́; tota ferè æſtate: & ex eodem ſemine plerunq; duæ diuerſæ ſpecies enaſcuntur, non illæ quidem forma diſſimiles, ſed vna inutilis & quæ florem eumq́; maiuſculum duntaxat profert: altera verò minore flore, & ſeminifera. Alitur etiam in Belgicis hortis.

EA, *vti dixi, Salmãticenſibus Seſamoides magnum nomine cum alia communi nuncupabatur: Alij ad Papauer ſpumeum referre malebant.*

Tota amara eſt.

De Seſa-

Seſamoides magnum Salmanticum.



De Seſamoide paruo Salmanticenſi.

CAP. XXX.

SESAMOIDIS *nomen ſubiungere facit plantam ſuperiori omnino diſſimilem.* 1. *Eſt verò ea dodrantalis, tres aut quatuor virgulas teretes ab vna radice producens, circa quas folia Lini exigua, denſa, inordinata: & in extremo plurimos floſculos, ſpicæ aut racemi inſtar confertos ex herbaceo purpuraſcentes primùm, deinde tenuibus capillamentis ex albo palleſcentibus ornatos, in quorum medio veluti quatuor grana viridia conſpiciuntur, quæ decidente flore in ſiliquulas excreſcunt ſemine exili nigricante plenas: radix candida, ſatis craſſa & dura, quæ etiam perennis eſt, & ſubinde ante hyemem repullulat.*

Seſamoides paruum Salmanticum.

In collibus Salmanticæ proximis prouenit lapidoſo ſolo, vbi Maio floret, & ſubinde ſemen profert.


ISTIC *Seſamoides paruum appellabant, tametſi cum eius deſcriptione minimè conueniat. Ingrato eſt guſtu & amariuſculo.*

Seſamoides paruum alterum.

2. ALIVD *item Seſamoides paruum iſtic nuncupatum creſcit locis decliuibus, dodrantalibus virgis, foliis multis Lini, maioribus & incanis: flore copioſo, albo: radix etiam candida, ſed non admodum craſſa. Floret eodem quo ſuperior tempore, & perennis etiam videtur, & tam à Seſamoide aliena quàm ſuperior.*

De Linaria

Seſamoides paruum Salmanticum 1.



De Linaria odorata.

CAP. XXXI.

Linaria odorata.

SINGVLARI *hæc eſt caule nonnunquam cubitali, in multos tenues ramulos ſuperiore parte diuiſo, quos oblonga folia Lino ſimilia ſepiunt: quæ tamen iuxta radicem ſunt humi ſparſa, longè maiora latioraq́ʒ, Bellidis foliis ſimilia, ſed per ambitum ſerrata, nonnulla etiam per caulem ſparſa altiùs inciſa: flos exiguus copioſus virgulas ſeu ramulos ſpicatim obſidet, cæruleus, lauendulæ ferè æmulus, extrema parte hamuli modo incuruus (quem pictor non ſatis exactè expreſſit) aliquantulum odorus: ſemen exiguum, rufum, in valuulis Linariæ ſimilibus, ſed minoribus continetur. Radice eſt ſingulari, candicante, minimi interdum digiti craſſitie.*

Spontè prouenit montoſis Caſtellæ locis lapidoſo & arido ſolo, vbi Aprili floret, & Maio Iunioq́ʒ ſemen profert. Nobis ſata floret Iunio Julioq́ʒ, & ſemen maturat Auguſto: raroq́ʒ diutius anno aſſeruari poteſt.

LINARIAM *odoratam quidam vocant, quoniam eius flos, qui calidis regionibus aliquantulum odoratus eſt, apud nos verò inodorus, Linariæ purpureæ florem nonnihil æmuletur.*

Seſamoides maius.

ETIAM *Seſamoides maius Salmanticenſibus nuncupabatur, cùm perinde eius deſcriptioni conueniat atque illorum Seſamoides antè deſcriptum.*

Nullas eius facultates exploratas habeo: ſed guſtata, amaritudinis particeps eſſe deprehenditur.

Linaria odorata.



De Linaria Valentina.

CAP. XXXII.

CIRCA *Valentiam in pratis & locis vmbroſis Linariæ genus creſcit vulgari multò lætius & craſſius, ternos quaternosq́ caules ab vna radice proferens, ſingulares, pedales, interdum ampliores, quos folia Centaurij minoris ambiunt, inferiore parte iuxta terram terno ordine diſpoſita plerunque, ſuperiore verò parte ſparſim & nullo ordine: extremis ramis veluti ſpicam profert florum luteorum, Linariæ vulgari ſimiliũ, quibus tamen rictus lanuginoſus eſt, cauda verò ſeu corniculum purpuraſcentis coloris: hos ſequuntur capitula exiguis loculis ſimilia: ſed ſemen videre mihi non contigit: radice eſt ſingulari, alba, quam hyeme perire puto. Floret Martio.*


Nos hanc appellauimus Linariam non à foliorum ſimilitudine, quæ non conueniunt, ſed quòd eius flores vulgari forma ſimiles & eiuſdem ferè ſint temperamẽti. Nam præmanſa, manifeſtam acrimoniam cum nonnullo amarore coniunctam exerit.

De Linaria Pumila. CAP. XXXIII.

AGRO *Salmanticenſi aridis locis exiguum planè Linariæ genus inueni, in reliquis vulgari ſimile. Fert id in virgulis dodrantalibus flores luteos vulgari ſimiles, multò tamen minores: deinde capitula etiam minora: radix tenuis eſt & candida, ſerpitq́ vulgaris inſtar. Floret iſtic tota æſtate.*

QVONIAM *adeò pumila eſt, & plerunque cum Chamæpity reperiatur, Salmanticenſes Chamæpityos genus eſſe exiſtimant. Admodum amara eſt.*

Linaria Valentina.



De Lino ſilueſtri. CAP. XXXIIII.

LINI *ſilueſtris multa inueniuntur genera. Cùm verò Linum ſilueſtre dico, Linariam non intelligo, quæ nonnullis etiam hoc nomine appellatur: ſed plantam floribus Lini ſimilibus atq; eodem modo fugacibus, nonnunquam etiam Lini folia habentem. Doctiſſimus Lobelius vnum quod flore eſt luteo deſcripſit. Ego ea hîc attingam quæ à nemine hactenus quod ſciam obſeruata ſunt.*

I. Linum ſilueſtre latifolium.

PRIMVM *pedales, graciles, lanuginoſos ternos aut quaternos ab vna radice promit caules, in quibus folia Lini latiuſcula, trineruia, & ad Aſcyri formam ferè accedentia, lanuginoſa: extremi cauliculi in binos aut ternos ramulos diuiſi, & Heliotropij maioris modo circunflexi pleni ſunt floribus, qui ab imo florere incipiunt, Lini florum diuiſura, maiores, maluæ vulgaris haud multò minores, candidi, multis purpureis venis intercurrentibus: ſemen & capitula Lini ſimilia: radix perennis, craſſiuſcula, oblonga, candicans raris fibris ſepta.*

Apud Colibriam Luſitaniæ vrbem, vulgò Coymbra dictam, celebri vniuerſitate claram dũtaxat eam plantam obſeruaſſe memini, ad deſertum quoddam templũ, menſe Nouembri repullulantem: & in illius anni cauliculis ſemen decerptum in Belgium attuli, quo terra commiſſo vnica nobis planta prodiit cubitalem excedens altitudinem, & latioribus folijs, quæ ſingulis annis ſub æſtatis finem floruit, nullum ſemen perficiens.

II. Linum ſilueſtre anguſtifoliũ.

SECVNDA *planta cui nomen hoc aptè conuenire videtur, puſilla eſt, dodrantalibus virgulis, binis aut ternis, firmis, ſed gracillimis, quas foliola lino multò anguſtiora & minora ambiunt: ſummis virgulis terni aut quaterni, nõnunquã plures flores inſident ſuperior*

form

forma & colore ferè ſimiles, ſed minores, ſatiui Lini florem magnitudine non excedentes: quibus ſuccedunt capitula & ſemen Lini, ſed minora: radix exilis, candicans, perennis tamen.

Inuenitur in anteriore Madritianæ ſiluæ parte, quæ ſecundo ab vrbe Lutetia lapide diſtat, inter gramina, loco aperto, nec vllis arboribus obſito. Floret Iulio, ſemen matureſcit Auguſto. Tota planta amaritudinis particeps.

TERTIVM *genus fruticat, dodrantalibus & pedalibus fermè ramulis, ſemper virentibus, quos numeroſa foliola exornant, ſuperiori haud maiora, mediæ inter Thymi & Pſyllij folia magnitudinis, ſubalbida: flores deinde ſuperiori paulò maiores, quinque foliis vt illi conſtantes, candidus omnino: capitula & ſemina vti prioris: radix dura lignoſa.* III. Linum ſilueſtre fruticans.

Exit deſertis quibuſdam Hiſpaniæ locis & ſole illuſtratis; floretq́ Iunio & Iulio, atque ſubinde ſemen profert. In Belgio ſatum, tertio duntaxat à ſatu anno floruit ſeriùs, nec ſemen protulit.

SED *hac æſtate quatuor alia adhuc Lini ſilueſtris genera primo ab vrbe Vienna lapide, aliisq́ gramineis, ſed ſiccis Pannoniæ locis obſeruaui, de quibus Deo volente inter Pannonicas obſeruationes. Eorum ſemina ad amicos in Belgium miſimus.*

De Gentianella verna.

CAP. XXXV.

SINGVLARI *aſſurgit hæc herba cauliculo, gracili, purpuraſcente, in quo ſena foliola, Alſines ferè ſimilia, bina ſemper inter ſe ex aduerſo reſpondentia: caliculum in ſummo fert, è quo flos inodorus, oblongus* Gentianella verna minor.

 exilit,

Gentianella verna minor.



exilit, qui externa parte in quina veluti ſoliola diuid
tur cærulei coloris, adeò elegantis & viuidi, vt ipſu
cæruleum quod imitatur ſuperare videatur: ſingulæ fl
ris plicæ aut ſoliola lineam candicantem ſecundum l
tus habent, & alia quina veluti ſoliola mucronata a
apophyſes quæ lacinias floris ab inuicem ſeiungunt: ſt
minibus intus palleſcentibus. Ex eadem radice quæ c
dida & fibroſa eſt, & quodammodo per terram ſerp
plures aſſurgunt aliæ plantulæ, quarum nonnullæ cu
huiuſmodi flore conſpici poſſunt, aliæ ſolia ſolùm hab
per terram ſtrata & orbiculari forma diſpoſita.

Naſcitur in Cantabris & Pyrenæis, ad anguſti

illi

illius perfoſſi montis quem D. Adriani portum vulgò nuncupant, & initio Maij floret. In Pannonicis Alpibus etiam obſeruaui copioſam, decliuioribus locis Maio florentem, excelſis verò montium iugis duntaxat ſub finem Iunij: exili, duro & rotundo ſemine.

PORRO quòd vere floreat, & Gentianellas forma æmuletur, Gentianellam vernam appellaui: adde quòd tota amara eſt vti illa.

De Centaurio luteo. CAP. XXXVI.

MVLTIS per terram ſparſis foliis Saponariæ ferè ſimilibus, ſed minoribus & candicantibus hæc planta prædita eſt: inter quæ caulis exit rotundus, pedali altitudine, geniculatus, & ex ſingulis nodis folia Centaurij minoris aut Hyperici, bina ſemper inter ſe oppoſita & ſic cohærentia, vt caulis ipſa traijcere videatur: ſummi ramuli aliquot flores Hyperico ferè ſimiles ſuſtinent intenſè luteos & planè aureos: radix candida & tenuis.

Prouenit læto ſolo in collibus iuxta Tagum, vbi ab incolis Semper-noua dicitur, quòd toto fermè anno floreat, quaſiq; renaſcens conſpiciatur. Obſeruaui etiam aliis Hiſpaniæ locis, & olim agro Mompelienſi, atque etiam paucos ante annos in Anglia Suſſexienſi agro in pratis florentem Septembri.

Caloris nonnihil poſſidet, & aliquantulũ amara eſt.

Centaurium luteum.



De Centaurio maiore.

CAP. XXXVII.

HOC CENTAVRII *maioris genus folia habet oblonga, Armoraciæ foliis haud abſimilia, & ad Glaſti foliorum ſimilitudinem plurimùm accedentia, non in particulas diuiſa, vt vulgare maius, ſed per ambitum duntaxat ſerrata, intenſo virore, & amariuſculo ſapore: caules inter folia prodeunt cubitales aut ampliores, rotundi, in ſummo bifidi aut trifidi, ſuſtinẽteſq; ſquarroſa capita, alterius Centaurij maioris æmula, floremq; villoſum, ſed colore candicante, deinde ſemen (nico ferè ſimile, ſeu, vt veriùs dicam, alterius maioris: radix craſſa admodum, dura, & longa, denſo cortice tecta, foris quidem nigro, intus verò flaueſcente, ſuccumq; croceum reſudante, qui cum quodam amarore aromaticus eſt.* Cétaurium maius alterum.

Supra Olyſipponem, lapidoſis iuxta Tagum collibus duntaxat inueni, in Belgio peregrinum omnino: nam tametſi radicem ad amicos indè miſerim, & poſteà etiã Olyſippone acceperim, nunquam tamen apud nos perſiſtere potuit, aut noſtrum aërem ferre. At vulgare maius foliis diſſectis in omnibus hortis conſpicitur.

GRÆCI κενταύειον μέγα, *Latini Centaurium maiunum appellant. Luſitani Tagi accolæ, apud quos inuenitur,* Rapontis, *vulgarem Pharmacopolarum errorem ſecuti, dicunt.* κενταύειον μέγα.

Centaurium maius alterum.



De Stœbe Salmanticenſi.

CAP. XXXVIII.

PRIOR *(nam duæ plantæ hoc nomine inſigniũtur) Iaceæ nigræ ſimilis, folia per terram expanſa habet, Scabioſæ Iaceæq́ foliis latiora, ad Cichorij folia accedentia, mollia, lanuginoſa, & interdum candicantia: aliquot ex eadem radice caules cubitales aut ampliores, multis alis brachiatos, quibus inhærẽt minora minuſq́ diſſecta, & mucrone quodammodo ſpinoſo folia: flores in ſummis ramis villoſos, purpureos è calycibus ſquammoſis, ſemen ſubrufum Centaurij maioris æmulum, ſed minus: radix eſt longa, candida, digiti interdum craſſitudine, quæ aliquando plures annos permanet.* I. Stœbe Salmantica prior.

2. *Eius generis alia inuenitur omnibus foliis mollibus & lanuginoſis, & Erucæ modo laciniatis, caule infirmo, ramoſo & in terram procumbente, cuius flores ſuperioribus maiores, barbulis exterioribus Cyani æmulis, ſed purpureis, villis quibuſdam luteis intermixtis medium florem occupantibus: ſemen ſuperiori ſimile, vel Cyano: radix digitalis, cãdida imminente hyeme perit.*

ALTERA *numeroſa promit folia ſecundum radicem humi ſparſa, canentia, oblonga, magnis & profundis inciſuris vti in nonnullis Scabioſarum generibus aut Eruca: caules plerunq́ cubitales, locis autem frigidioribus & humidioribus bicubitales aut maiores, in frequentes ramos diuiſos: folia per ramos ſparſa altè quidem inciſa vti ea quæ ad radicem naſcuntur, ſed minora multò & breuiora, inq́ molles quoſdam aculeos deſinentia: ramorum faſtigiis inſident calyculi argenteis veluti ſquammis compacti, vnde flos exilit Cyani forma, ſed purpuræ dilutioris, & medio villoſus: ſemen lanugine quadam includitur vt in reliquis Iacearum generibus,* II. Stœbe Salmantica altera.

Stœbe Salmantica prior I.



Stœbe Salmantica altera II.



neribus, exiguum, nigricans, ſummo capite villoſum: radix ſingularis, craſſa, & nonnunquam fibroſa.

2. *Alia item in hortis Belgicis alitur ſemine è Galliis miſſo, huic adeò ſimilis, vt ab ea, niſi à peritioribus vix dignoſci poſſit: etenim hæc ſolis calyculis qui tam eleganti argenteo colore non ſplendent, ſecernitur.*

Naſcuntur omnes, præter poſtremò deſcriptam, Salmanticenſi agro frequẽtes in aruorum & vinetorum marginibus. Poſtrema tum in Gallia, tum Viennenſi agro copioſè. Florent autem omnes Iunio, Iulio, Auguſto, & ſubinde ſemen proferunt. Apud nos non niſi altero à ſatu anno florent.

OMNIA *autẽ hæc genera ad Scabioſas, ſeu Iaceas, quæ etiam Scabioſæ generibus adſcribendæ ſunt, referri poſſe iudico. Salmanticenſes primam & alteram Stœbes nomine inſigniebant, quòd extrema folia vtcunque aculeata ſint: ſed & alterum prioris genus ad Cyano referebant, altera etiam pro Scabioſa vtebantur. Prio vulgò iſtic* Cabecuela, *hoc eſt Capitulum dicitur, & ex ea ſcopas ſordibus purgandis & euerrendis idonea concinnant, vti apud nos ex Betulæ aut Ericæ ramis.*

De Iacea lutea. CAP. XXXIX.

EX *Acanaceorum genere planta hæc eſt, itaque i eorum claſſem referri potuiſſet, niſi tota, præter aculea tum caput, facie cum Scabioſis & congeneribus ſtirpi bus conueniret.*

Iacea lutea. 1. *Lõgas verò, & cubitales maioréſve fert virgas, qua ſecundum radicem folia Centaurij maioris multifia folio ſimilia amplectuntur, ſuperiora verò quæ per vir gas ſparſa ſunt, Iaceæ nigræ ſimilia, duriora aliquantu lum & candicantia, guſtu vtcunque acido: capita i ſumm*

Iacea lutea.



ſummis virgis Cnici ſilueſtris maiora, ſpinis horrida, è quibus flos luteus Atractylidis: ſemen in capitibus cinerei coloris, exiguum, multa lanugine inuolutum: radix longa, candida, ſucculenta & dulcis Eringij vulgaris modo. Flore ſeneſcente & euaneſcente, ex medio capite veluti gummi quoddam flori permixtum protuberat vermiculorum modo conuolutum, aut veluti officinarum Tragacantha, rufi coloris: vnde occaſionem ſumpſiſſe puto Salmanticenſes, vt eam Tragacantham vocent.

FREQVENS exit agro Salmanticenſi ad Vinetorum margines & arido ſolo. Floret Iulio, ſemen matureſcit Auguſto.

2. SVPERIORI non multum abſimilis frequentiſſima inuenitur agro Granatenſi & Valentino, locis humectis & vmbroſis: foliis ſeridis, candicantibus, cubitalibus, flexibilibusq́; ramis, in quorum ſummo capita ſquammata florem depromentia purpureum: radix admodum craſſa longaq́; & glutinoſa.

Granatenſibus vulgò Arzolla dicitur, & proponebant nonnulli, dum iſtic eſſem, pro Poterio, cùm illius deſcriptioni tam reſpondeat, quàm quod minimè. Florebat Martio.

Priorem aliquando in Belgio habuimus ex ſemine à me miſſo natam, ſed paucis annis perſtitit.

De Scabioſa Hiſpanica.

CAP. XL.

1. VVLGARIS Scabioſæ maioris folia ſimilia habet, laciniata & altè inciſa, mollia, lanuginoſaq́;: caules nodoſos, rotundos, interdum cubitales, è quorum geniculis folia bina inter ſe oppoſita; ſummis ramis capitula inſident

Scabioſa Hiſpanica maior.

Scabioſa Hiſpanica maior 1.



ſident ex multis calyculis membraneis & paleaceis cõpoſita, qui ſingulos flores continent candicantes, quibus deciduis, in medio quaſi ſingulorum calyculorum vmbilico exigua quædam ſtella ſubnigra conſpicitur, quatuor, quinque aut ſex radiolis conſtans: paulatim verò hi calyculi excreſcentes expanduntur, donec ſemen hirſutum & craſſum (quo calyculi ſuſtinentur) matureſcere incipiat: radix candida, craſſa, vulgari ſimilis.

II. Scabioſa Hiſpanica minor. ALIA inuenitur huic perſimilis, & ſola magnitudine differẽs: eſt enim per omnia minor, foliiſq; tenuius inciſis: calyculi & flores minores, & ex cæruleo colore purpuraſcentes.

Creſcit vtraq; iuxta Vinearum margines & ſemitas, lociſq; incultis agro Salmãticenſi & per reliquam Hiſpaniam. Florent menſe Iunio. At apud nos aliquando ſatæ floruerunt duntaxat autumno, deinde ſubſequente hyeme perierunt. Nonnulli maiorem ramis in terram demiſſis propagare ſtuduerunt: ſed operam luſerunt.

Amaræ ſunt, ideóque caloris & ſiccitatis participes.

De Elichryſo. CAP. XLI.

Elichryſon. FRVTICOSA eſt planta, pedali, nonnunquam cubitali altitudine, in multas alas ſubinde diuiſa: folia ei numeroſa, Abrotono ſimilia, candicantia, & cum grauitate odorata: flores in ſummis ramis vmbellatim congeſti, lutei, Agerati floribus forma & odore perſimiles, verùm maiuſculi: radix dura, lignoſa, minimi digiti nonnunquam craſſitie, quæ tamen ſingulis annis perit.

Læto ſolo prouenit, & copiosè circa Madritium itiner

tinere Complutenſi, aliiſq́; Hiſpaniæ locis in agris, vbi Septembri & Octobri florentem vidi.

Dioscorides ἑλίχρυσον, *nonnulli, eo referente,* χρυσάνθεμον καὶ ἀμάραντον *appellant. Theophraſtus* ἑλειόχρυσον, *quem ſecutus eſt Plinius. Gaza Aureliam vertit. Hiſpani* Scoba hedionda, *id eſt Scopam fœtidam, ab odoris grauitate & eius vſu nuncuparunt.* ἑλίχρυσον. ἑλειόχρυσον. Aurelia.

Verùm cùm tota hæc planta ſit amara, facilè eas facultates obtinebit quas illi veteres tribuunt.

Hiſpanis nullo in vſu, niſi quòd Madritiano agro ſcopas mundatorias ex ea faciunt: & quibuſdam aliis locis, ea in faſciculos congeſta & colligata, muros terreos (quos ipſi tapias *vocant) integunt aduerſus imbrium iniuriam.*

De Chryſocome altera.

CAP. XLII.

Pedalibvs *hæc, aliquando cubitalibus, aſſurgit ramis, candicantibus & lanuginoſis: foliis per interualla Oleæ, oblongis, mollibus & cana lanugine tectis: flores extremis ramulis pallentes ſquammoſi, vt Agerati ferè, emicant:* radices *nigricantes.* Chryſocome.

Frequens eſt aridis locis, atque etiam in vetuſtis muris per Luſitaniam, Bæticam, & Granatenſe regnū, Martio & Aprili florentem vidi.

Chrysocomes, *quam vulgò Stœchadem citrinam (Murciani* Mançanilla, *nomine Chamæmelo communi) vocant, genus eſt. Hiſpalenſes* Romero marino, *id eſt Rorem-marinum maritimum, Mauritani Granatenſes* Miſcaijn *appellant.*

Tota

*Tota odorata eſt, & adſtrictionis cuiuſdam parti-
ceps. Bætici referebant eius ex vino decoctum mirific
Coli doloribus prodeſſe.*

De Chryſanthemo Valentino.

CAP. XLIII.

Chryſanthemum Valentinũ.

VNICO *plerunque aſſurgit caule, pedali, rarò am
pliore, ramoſo: foliis ſecundum radicem numeroſis, d
inde temerè & ſine ordine per caulem ſparſis, multi
dis, Stratioti ſimilibus, lanuginoſis & incanis, quæ d
guſtata ſaliuam cient, & acidula ſunt: flos in ſingul
ramulis vnicus, luteus, & auri ſplendore fulgens, e
multis annis natiuum colorem retinens, medio Anth
midis diſco aut vmbilico maior, & ſine radiatis in am
bitu foliolis, odore non iniucundo: radix vnica, cand
cans, firma, & craſſiuſcula.*

*Valentino regno in aruis iuxta ſemitas reperi, n
vſquam alibi obſeruaui. Florebat iſtic Martio.*

Buphthalmum.

CHRYSANTHEMVM *vocabant, longè tam
à Dioſcoridis χρυσανθέμῳ diuerſum, & potius meo i
dicio ad Buphthalmi genera referendum, niſi qu
ἀχιλλείου ſpeciem eſſe malit.*

Eius facultates mihi ſunt incompertæ.

De Str

Chryſanthemum Valentinum.



De Stratiote flore luteo.

CAP. XLIIII.

Stratiotes lutea.

PALMARI *eſt amplitudine, duobus, tribúsve al eadem radice cauliculis, quos folia vulgaris Stratioti foliis ſimilia ambiunt, molliora multò & tenuius inci ſa: flores in vmbellis alteri forma ſimiles, ſed lutei: ra dix vnica, dura, ſurculi tamen alterius Stratiotis & Chamæmeli modo ſerpunt, & radices agunt.*

Creſcit Murciano regno, & ſupra Auenionem iti nere Nemauſenſi lapidoſo & ſterili ſolo. Floret Mai & Iunio.

στρατιώτις.

ἀχίλλειον.

DICITVR στρατιώτης ὁ χιλιόφυλλος *Græcis, Mili taris Latinis: nomen vulgare nullum ſcio. Poterat eti ad* ἀχίλλειον *Dioſcoridis referri, quod flore luteo inue niri ſcribit. Verùm haud multùm refert vtrum Achi leam an Stratiotem appellaueris, cùm vtriuſque facu tates ſint ſimiles, & ad vulnera, vlcera, profluentem ſanguinem ambæ commendentur.*

De Verb

Stratiotes lutea.



De Verbenaca ſupina.

CAP. XLV.

Verbenaca ſupina.

QVATERNI *aut quini huic ſunt cauliculi, an-guloſi ſiue quadranguli vti in vulgari Verbenaca, te-nuiores tamen, ſupini & in terram procumbentes: folia vulgari colore ſimilia, & ex viridi cæſia, ſed magis in-ciſa & multifida: flos in ſummis virgis vulgari ſimili ex cæruleo purpureus, minor tamen: ſemen idem: radi-tenuis & vulgari ſimilis.*

Agro Salmanticenſi frequens, & quibuſdam ali-Caſtellæ locis iuxta ſemitas, vbi minor & exſucca: & declinibus, fluminumq́; ripis, præſertim verò ad flume-Thormim quod Salmanticam & Albam vrbes alluit vbi maior & vegetior. Florebat iſtic Iulio & Auguſt-& ſubinde ſemen ferebat, quo in Belgium delato & ter-ræ commiſſo natæ ſunt nobis aliquot plantæ, quæ cùm ſeriùs florerent, nec ſemen maturarent, omnino peri-nobis id genus: annua etenim eſt planta.

ἱερὰ βοτάνη. περιστερεὼν.

GRÆCIS ἱερὰ βοτάνη, *id eſt Sacra herba, &* πε- στερεὼν ὕπτιος, *hoc eſt Verbenaca ſupina dicitur: nome- vulgare nullum habet quod ſciam.*

Eiuſdem cum vulgari eſt temperamenti: proinde a- eadem vtilis, & aliquanto fortè efficacior.

De Capr-

Verbenaca ſupina.



De Capno tenuifolia.

CAP. XLVI.

Capnos tenuifolia.

HERBVLA *eſt dodrantalis, cauliculis mollibus alterius Fumariæ æmulis, non procumbentibus tamen, ſed erectis: plurimis foliis mollicellis, capillaceis & tenuiſſimè inciſis, vulgari candidioribus: ſummos cauliculos exornant ſpicæ purpuraſcētium floſculorum vulgari minorum confertim naſcentium maiuſculæ: radix exilis. Tota amara eſt.*

Inuenitur pleriſq; Hiſpaniæ regionibus in agrorum limitibus & iuxta vias: memini etiam vidiſſe non nullis Narbonenſis Galliæ locis, præſertim ſupra Arlaten.

HANC *quidam in Hiſpania tertiam Siderit facere volebant, neſcio qua ratione ducti. vulgò à nonnullis* Palomilla, *&* Palomina *dicitur, quemadmodum Fumaria communis.*

De Conyz

Capnos tenuifolia.



De Conyza. CAP. XLVII.

TRIPLICEM *ConyZam Dioſcorides facit, maiorem, minorem, & mediam.*

I. Conyza maior. MAIOR *plures ex eadem radice emittit caules ſeſquicubitales plerunq; aut maiores, duros, lignoſos, hirſutoſq; & pingues, obſoleti coloris: folia in his multa, inordinata, alternatim caulem amplectentia, duplo quàm Oleæ maiora, hirſuta & pinguia, ſeu glutine quodam & pinguedine obſita, ex viridi pallentia: flores vt plurimum extremis ramis ſpicatim enaſcuntur lutei, rotundi, Senecioni ferè ſimiles, & in pappos euaneſcentes: ſemen exiguum, cinerei coloris: radix craſſa, fibroſa, & perennis. Tota planta pinguis, glutinoſa, & odorata eſt cum quadam grauitate.*

Supra Olyſipponem frequentiſſima ad collium Tago flumini imminentium radices, & Murciano Valentinoq; regno, atq; etiam Narbonenſi agro iuxta vias & vinearum margines.

II. Conyza minor. MINOR *rarò plus vno aſſurgit caule, cubitali, plerunq; minore & ramoſo, hirſuto etiam & glutinoſo, ſed magis virente quàm ſuperioris: folia triplo minora quã maioris, ad Linariam accedentia, hirſuta tamen & illa, pinguiaq;: extremi ramuli ſecundum longitudinẽ vti in ſuperiore florem ſuſtinent, minorem & longè minus ſplendidum, in pappos quoq; euaneſcentem: radix ſingularis, & annua. Priore odoratior eſt.*

Creſcit autem non procul Madritio frequentiſſimè in agris itinere Toletano: memini etiam in Gallia Narbonenſi infra ſiluam via qua Mompelio Peraul itur plerunq; legiſſe, dum ad herbationem maritimam proficiſceremur. Floret vtraque ſub Autumnum, & ſubinde ſemen profert. Maior aliquando apud nos ſata fictilibus prouenit, & tum depingendam curaui,

deinde

Conyza maior.



deinde periit, noſtrum cælum non ferre valens.

III. TERTIAM *legitimam nemini adhuc cognitam eſſe arbitror: nam quæ ab aliis hoc nomine exhibetur, mihi non ſatisfacit.*

κόνυζα. PORRO *Græcis hæc planta* κόνυζα *dicitur. Plinius Conyzam vocat, & maioris radicem a quibuſdam Libanotin appellari tradit. Theophraſtus ſexu etiam diſtinguit, maiorem marem faciens, minorem feminam.*

Pulicaria. *Gaza Pulicariam vertit, propter eam fortè, quam illi Dioſcorides enecandis pulicibus facultatem tribuit: nam alia eſt Pulicaria dicta ob ſeminis cum pulicibus ſimilitudinem. Hiſpani quidam* yerua pulgera, *nimirum propter eaſdem facultates, vocant.*

Quæ verò à Matthiolo Conyzæ maioris nomine exhibetur, minimè Conyza eſſe poteſt, ſed ad Dioſcoridis

Baccharis. *Baccharim accedere videtur: eam ſatis ineptè Salmanticenſes Helenium faciebant, cùm nullis cum Helenio notis conueniat. Illius autem radicem ex vino decoctā, ad profligandam ſcabiem quædam vetulæ propinabant: quem in vſum & nonnulli Monachi ex eius radice & foliis vnguentum parabant.*

De Phlomide Lychnite.

CAP. XLVIII.

Phlomis Lychnitis. FOLIA *fert ſcabra, craſſa, Saluiæ tenuifoliæ ſimilia, oblongiora tamen & anguſtiora, candicantia, inferiore parte denſa lanugine omnino cana: cauliculi dodrantales, quadranguli, hirſuti & candicantes: è quorum geniculis bina folia oblonga ſuperioribus ſimilia, inter ſe oppoſita naſcuntur, & in caulis faſtigio breuiora & ſede latiuſcula: flores Lamij circa extremos cauliculos verticillatim ex denſa lanugine & veluti villis*

pallidis

Phlomis Lychnitis.



pallidis prodeunt lutei coloris, coma plerunque inflexa & nutante: radix nigricans & lignoſa.

Exit hæc collibus, ſiccisq́ & petroſis locis per totam Hiſpaniam, & Luſitaniam, atq; Narbonenſem Galliam. Floret Maio & Iunio, ſemen autem ſubrufum, Verbaſco ſilueſtri ferè ſimile Iulio profert.

λυχνῖτις. θρυαλλὶς. PHLOMIS *hæc Græcis* λυχνῖτις, *& à quibuſdam* θρυαλλὶς *appellatur: Latinis Lychnitis & Thryallis: Mompeliani meo tempore Verbaſcum ſilueſtre vocabant. Caſtellanis* Candilera, *Granatenſibus* Menchera *eadem ratione dicitur, quòd videlicet eius folia non modò ſicca, ſed etiam recentia Ellychnij modo vti poſſint, oleo impoſita, quod etiam innuit Dioſcorides.*

HVIVS *autem facultates neminem veterum deſcripſiſſe memini.*

Verbaſcum ſilueſtre. ILLVD *verò hîc adijcere volui, Verbaſcum ſilueſtre doctiſſimo celeberrimoq́ Matthiolo atq; aliis exhibitum, copioſè in iugis illis montium qui Luſitaniam à Bætica diſterminant, quosq́* Sierra morena, *quaſi montem nigrum, dicunt, naſci, & illis* Matulera *dici. Tota Bætica etiam eo abundat.*

De Aſtere flore luteo.

CAP. XLIX.

I. Aſter atticus. VNICO *plerunq; aſſurgit cauliculo, pedali, lignoſo, duro, lanuginoſo, qui ſuperiore parte in ramulos diuiditur caulem ſuperantes, quorum extremis capitula inſident ſquammata, foliis quinq; oblongis, hirſutis, rigidiuſculis, & radiatim expanſis ſubtus exornata, in medio verò flos Chryſanthemi aut Anthemidis, aureus: folia per caulem ſparſa mollia, lanuginoſa, candida,*

dida, Lychnidis ferè, ſed anguſtiora: radix inutilis & ſingulis annis periens.

Frequentiſſimus eſt hic Aſter agro Salmanticenſi in aruis, & Granatenſi, vbi Maio & Iunio floret: atque etiam Mompeliano agro ad portam D. Ægidij non procul Auguſtinenſium monaſterio, aliiſq; locis rbi vicinis.


ALIVD *eius genus, ſed ſupinum & radice perenni, cauliculis multis ab vna radice prodeuntibus, per terram magna ex parte ſtratis & diffuſis, hirſutis: foliis ſuperiori ſimilibus ferè, ſed paulò viridioribus & numeroſis: ſinguli rami durum & folioſum ſuſtinent calyculum in quo flos luteus circinatæ rotūditatis, Buphthalmi aut Chryſanthemi æmulus: quo euaneſcente, calyculi illi in adeò dura & lignoſa capitula euadunt, vt vnque vix frangi poſſint, & ſemen, quod in iis continetur & firmiter inhæret, erui.* II. Aſter atticus ſupinus.

INVENITVR *iſtud quibuſdam Caſtellæ nouæ locis: ad nos delatum excreuit, & fictilibus aliquot annis ſeruatum, ſed deinde teſta exemptum & horto commiſſum ſubſequens hyems abſtulit.*

DICITVR *Græcis* ἀςὴρ ἀττικὸς καὶ βουϐώνιον*: Plinio Aſter & Bubonion, nonnullis Inguinalis. Mompelia-ni priorem Oculum Chriſti appellabant: Hiſpani* Bobas*, quam vocem à Bubonij vocabulo deductam puto, ut quòd Inguinum tumoribus, quos illi* bobas *vocant, medeatur; vnde etiam Latinis Inguinalis.* ἀςὴρ ἀττικός. βουϐώνιον. Inguinalis. Oculus Chriſti.

De Con-

Aſter atticus ſupinus.



De Conuoluolo peregrino.

CAP. L.

VEPRIBVS *atq; fruticibus adnaſcitur hæc plan-* I.
a, illisq; conuoluitur, alioqui humi iacens, nec ſeſe at- Conuoluolus folio Althææ.
ollens, quòd viticulis ſeu cauliculis ſit infirmioribus,
racilibus, pedalibus aut cubitalibus, ſubhirſutis: folia
lli Hederæ, ſiue Althææ, minora, incana, per ambi-
um criſpa & nonnunquam ſerrata, & nonnihil laci-
iata, guſtatu gummoſa, ſubacria & ſubamara: flores
x alarum ſinu promit longis pediculis inhærentes, con-
oluoli floribus ſimiles, qui ita complicantur, vt ex plu-
ibus foliis conſtare videantur, ex purpureo candicãtes,
iterdum omnino purpuraſcentes: radice tenui & exi-
, fuſca, quæ per ſummos ceſpites repit, & ſubinde alias
lantas producit.


In collibus iuxta Tagum læto ſolo, Bætica, pluri-
isq; aliis Hiſpaniæ locis frequens eſt: floretq; Martio
Aprili.

AD *quam ſtirpem veteribus deſcriptam referri poſ-*
, ignoro, niſi fortè Iaſionem, cuius Plinius lib. 22. cap. Iaſione.
2. meminit, eſſe quis exiſtimet. Valentini Conuoluo-
m folio Althææ, Hiſpani vulgari nomine Campanil-
, id eſt Campanulam, Luſitani Verdezilla *vocant:*
ad vulnera curanda efficaciſſimam eſſe tradunt.


CONGENER *illi videtur alia quædam, multis* II.
nuibus adeoq; iunceis ramulis ex eadem radice pro- Cantabrica quorundã.
euntibus, humi procumbentibus, pedali aut cubitali
ngitudine, duris, flexibilibus tamen & lanuginoſis,
ui in ſummo aliquot flores proferunt purpuraſcentes,
odoros, ſuperiori ſimiles, minores tamen, vnico folio
nſtantes, ſed ita implicato, vt quinq; conſtare videa-
ur, floris margine in totidem angulos prominente: folia

per

Conuoluolus folio Althææ 1.



Cantabrica quorundam II.



per ramulos nullo ordine ſparſa, oblonga, anguſta, tenui lanugine obducta, ſalicis foliis haud abſimilia, guſtu vi ſuperioris gummoſa, & aliquantulum amara: radix candicans, ſingularis, perennis, infima parte ramoſa.

Naſcitur iiſdem quibus ſuperior locis, atque etiam in Gallia Narbonenſi. Inuenitur etiam in colle Thermarum vrbi, vulgò Baden, *imminenti, quarto ab vrbe Vienna Pannonica lapide. Floret Maio & Iunio, non nunquam etiam autumno. Apud nos non niſi Iulio & Auguſto, vbi nullum ſemen perficere obſeruauimus, tametſi magna diligentia fictilibus conſeruari ſoleat.*

Cantabrica Plinij.

SVNT *qui hanc Cantabricam Plinio lib. 25. cap. 8 appellatam putent. In eadem, inquit, Hiſpania inuenta eſt Cantabrica, per Diui Auguſti tempora à Cantabris reperta. Naſcitur vbique, caule iunceo, pedali, in quo floſculi oblongi, velut calathi: in his ſemen perquam minutum. Et eodem capite eius cum Dictamno & radice Ariſtolochiæ drachmam in vini hemina ſæpius bibendam iubet contra ſerpentium morſus.*

De Alyſſo Galeni.

CAP. LI.

EX *multis quæ Alyſſi Galeni nomine circunferuntur plantis, nullam inueni quæ deſcriptioni reſponderet. Sed in mea Hiſpanica peregrinatione quandam obſeruaui quæ illius delineationi ita exactè quadrat, vt quin illud ipſum ſit, nullus dubitationi locus amplius relinquatur.*

Alyſſon Galeni.

EST *verò pedali altitudine, caule quadrangulo, ſtatim à radice in multos ramos diuiſo, omnino candidos, & veluti tomento obductos, circa quos, per ſingula genicula, bina folia inter ſe oppoſita ſemper enaſcuntur*

Marrub

Alyſſon Galeni.



Marrubio ſimilia, breuiora tamen & criſpiora, magiſq; incana, inodora, & amara: calyculi per interualla verticillatim ramos ambiunt, quinq; plerunq; aculeis horridi, candidi, è quibus Marruby flos exilit, ſe colore ex cæruleo purpuraſcente: ſemen in aculeatis calyculis ſubrufum, Marrubio ſimile continetur: radi dura, lignoſa, multifida.

Vno duntaxat loco per Hiſpanias hanc plantam inueni (tametſi non dubitem pluribus naſci) ad Elda videlicet pagum, in cœmeterio, quo cænotaphia plurim Arabicis literis ſculpta videre licet, Valentino regn ſeptem ſub Horiuēla, Orceli veteribus dicta, miliaribu florentemq; & ſemine prægnantem medio Martio. S mine, quod inde detuli, nobis poſteà nata eſt, & ſ ſponte ex ſemine deciduo ſingulis annis ſe ſerens, quibu dam Belgij hortis adhuc conſpicitur: videtur autem a nua aut biennalis.

CÆTERVM *primo intuitu Marrubium eſſe cenſebam, donec, & aculeati calyculi, & flos ipſe mihi memoriam reuocarent Alyſſon quod Galenus lib. 2. Antid. tis in hunc modum deſcribit: Alyſſum herba Marrubio adſimilis, aſperior tamen, & magis aculei circa orbiculos: florem ad cæruleum vergentem p fert, &c.*

Nominis autem rationem, atq; etiam faculta ipſius, libro 6. de ſimp. med. refert. Nuncupata eſt herba ἄλυσσον, quòd mirificè iuuet demorſos à cane bido. Sed & rabienti quoq; data, ſæpè in totum ſana atque hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine efficit. T ctumq; prius eſt talem facultatem ex ſola percipi perientia, & planè nulla conſtare methodo. Quòd ſi q ad multa experiatur, cognoſcet facultatem habere diocriter ſiccificam, & digerentem, cùm hoc vt abſt ἄλυσσον.

ſoriu

ſorium nonnihil etiam obtineat. Hac ratione & vitiliginem, & maculas faciei à ſole prognatas expurgat. Hæc Galenus.

PAVSANIAS in Arcadicis eandem etiam nominis rationem aſſignat Alyſſo: ſic etiam Plinius, cuius tamen Alyſſon ab iſto longè diuerſum eſt.

De Sideritide Heraclea.

CAP. LII.

LONGIORE eſt quàm Marrubium folio, ſatis ad Saluiæ folium accedente, minore tamen, querni ferè folij diuiſura, ſcabro, hirſuto, nec iniucundi guſtus & odoris: caules fundit quadratos, palmum ſæpius excedentes, duros, hirſutos item & candicantes, interdum procumbentes, quorum ſummitates per interualla verticillati orbes coronant, vt in Marrubio videre licet, quibus flos Lamij, minor, & ex candido interdum purpuraſcens, quo euaneſcente ſemen in calyculis nigricans reperitur: radix dura, lignoſa & perennis. Sideritis Heraclea.

Nuſquam ferè non occurrit hæc arido & petroſo ſolo, per Hiſpanias, Gallias, Germaniam, floretq́ æſtate, quibuſdam etiam locis in autumnum vſq; florens ſpectatur.

DICITVR Græcis σιδηρῖτις ἡ ἡράκλεια, Latinis etiam Sideritis, vulgo herbariorum cùm in Hiſpaniis tum in Gallia, Tetrahil, & Herba Iudaica. σιδηρῖτις. Tetrahil. Herba Iudaica.

Illita folia, referente Dioſcoride, ſuapte vi, vulnera ſine inflammationis periculo iungunt.

Sideritis Heraclea.



De Ocymaſtro Valentino.

CAP. LIII.

PEDALI *eſt altitudine, ramis quadrangulis, hir-ſutis; foliis per ſingula genicula ex aduerſo ſitis, Ocymi magnitudine & forma, guſtu adſtringentibus: circa ſummos ramos flores proueniunt orbiculatim compoſiti Marrubij modo, candidi, Ocymi floribus ſimiles in vaſculis pungentibus: ſemine Marrubij nigro: radix Vrticæ aut Lamij æmula.* Ocymaſtrũ Valentinum

Prouenit copioſè circa riuos ex flumine ductos ad vrbem Valentiam in Hiſpaniis, vbi eam initio Aprilis florentem & ſemine prægnantem obſeruaui, nec vſquam alibi.

ISTIC *Ocymaſtrum appellabant, tametſi non admodum exactè Dioſcoridis deſcriptioni conueniat.*

PORRO ὠκυμοειδοῦ, *quod quidam* φιλεταίρειον *cognominant, ſemen in vino potum, viperarum, cæterumq́ ſerpentium morſibus medetur, vt teſtatur Dioſcorides: & cum melle, vino, myrrha, & pipere ischiadicis datur.* ὠκυμοειδὲς. φιλεταίρειον.

Ocymaſtrum Valentinum.




De Heliotropio ſupino.

CAP. LIIII.

MAIORI *Heliotropio perquam ſimile eſt, minus* Heliotropiū ſupinum.
men: etenim ramulos fert graciliores, multis alis con-
uos, aliquantum lanuginoſos, humi ſtratos: folia ma-
ri, cùm ſapore, tum colore & forma ſimilia, minora
men, & Ocymi foliis proxima: extremi ramuli ſcor-
nis caudæ modo etiam incurvantur, eiſq́ ordine in-
ent, vti in maiore, floſculi candidi, quibus ſuccedit
en, non quadrifariā vti in altero diuiſum, aut qua-
na ſemina iuncta, ſed vnicum ferè ſemper, quandoq́
ninum, illo maius & oblongius, fuſcumq́, cortice
odam & veluti pericarpio incluſum: latent etiam in-
dum pedicelli cum tribus aut quatuor ſeminibus dū-
at: radix parua, foris nigricans hyeme perit & ſe-
ne deciduo ſingulis annis renaſcitur.
In marginibus quorundam agrorum, præſertim vbi
elopepones ſeri ſolent Salmanticæ reperitur. Floret
finem Iulij & Auguſto, quo menſe, & interdum
tembri ſemen perficit.
ES T *proculdubio Heliotropij maioris genus, tamet-*
onnulli cerebroſius aſſerere vellēt Heliotropium mi-
eſſe. Græci σκορπίουρον, *quòd ramuli cum floribus* σκορπίουρον.
pionum caudæ modo inflectantur, & ἡλιοτρόπιον, ἡλιοτρόπιον.
d eius folia cum ſole circumagantur, appellant. Pli-
s etiam Helioſcopium vocat & Verrucariam. Verrucaria.
CÆTERVM, *vt eiuſdem cum maiore eſt tempe-*
enti, iiſdem etiam viribus pollere veriſimile eſt.

Heliotropium ſupinum.



De Heliotropio minore tricocco.

CAP. LV.

HELIOTROPIVM *hoc vnico aſſurgit caule, pe-dali, multis ramis brachiato: folia ſuperioribus haud ſimilia, ſed ad Xanthij nonnihil, Solani verò ſomniferi folia plurimum accedunt, mollia & candicantia: flos exiguus, racematim compactus, luteolus, inutilis, quippe qui ſine ſemine perit, vti flos Ricini & quarundam aliarum plantarum quæ ſemina ſua non è floribus proferunt: ex alarum tamen cauis dependent è longis pediculis, & foliis quaſi occultantur ſine flore enatæ ſiliquæ triangulæ vti Tithymalorum, ſed aſperiuſculæ, ſcabræ & nigricantes, in quibus ſemen cinerei coloris, quod deiſcentibus ſiliquulis exilit, vti Tithymalorum & Ricini ſemina: hæ ſiliquæ pannis affricatæ viuaci viridiq; os inficiunt colore, qui temporis momento in cæruleum elegantemq; mutatur colorem: radix inutilis & minime viuax: etenim ſingulis annis, vti ſuperior, ex ſemine renaſcitur noua planta.* Heliotropiū tricoccum.


Salmanticenſi agro frequentiſſima eſt hæc planta, multisq; aliis reliquæ Hiſpaniæ locis & in Narbonenſi Gallia naſcitur copioſè. Iulio & Auguſto floret, & deinde ſemen ad maturitatem perducit. Nobis in Belgio ſæpiùs ſata & aliquoties nata, ad frugem nunquam peruenit.

Ηλιοτρόπιον μικρὸν *Græcis, Heliotropium minus Latinis dicitur: Plinio etiam Tricoccum, qui eius hiſtoriã cum Scorpioide Dioſcoridis cõfundit: Caſtellanis* Tornaſol, *Narbonẽſibus* Torneſola: *quæ voces à Græco nomine deductæ videntur.* ἡλιοτρόπιον μικρόν. Tricoccum.

DIOSCORIDES *ait herbam cum ſuo ſemine potam, adiecto nitro, hyſſopo, naſturtio & aqua, latas ti-*

neas

Heliotropium tricoccum.



neas teretesq́ excutere: penſiles verrucas, quæ acrochordones vocantur, cum ſale illitam tollere.

De Phyllo. CAP. LVI.

PHYLLVM duplex eſt veteribus, qui tamen in eius deſcriptione differre vidētur: Namq́ quod Theophraſtus marificum facit, id Dioſcoridis feminificum videtur. Prætereà Theophraſtus Phyllo Ocymi folia tribuit, Dioſcorides Oleæ. Nos ex ipſis veris plantis quas frequenter vidimus & collegimus, vtriuſq́ deſcriptionem concinnabimus.

MARIFICVM (Theophraſti enim ſententiam potius ſequemur) pedali plerunq́, interdum cubitali eſt caule, quadrangulo, lignoſo, ramoſo: folia illi Oleæ, ſeu verius Ziziphæ Cappadocicæ, incana, lanuginoſa, mollia, bina ſemper certo ordine & per interualla (vt in omnibus ferè quadrangulari caule plantis) diſpoſita, acidi & ſalſi guſtus: inter quæ iuxta ramulos, naſcūtur bini globuli vni & eidē pediculo inhærentes, vt in Mercuriali mare, vel, vt Theophraſtus ait, fructus ſicut oliua cùm primùm ex muſco, ſiue flore, emergit, geminus, modo teſticuli hominis, quo continetur ſemen Tithymali rotundum, cinerei coloris, quod tandem ad cyaneum tendit: radix minimi interdum digiti craſſitudine & longitudine, dura, lignoſa, candida, & multifida. I. Phyllum marificum.


FEMINIFICVM, quod Dioſcoridis eſt Marificum, ſuperiori omnino ſimile eſt: altius tamen plerunq́ attollitur, licet infirmioribus caulibus; & numeroſiora habet folia: prætereà oblongis tenuibusq́ inter folia pediculis flos oleæ modo muſcoſus & ex herbaceo palleſcētis coloris inſidet (quem in priore vix obſeruare licet, fructu ſtatim ex alarum cauis enaſcente) ſemenq́ raró II. Phyllum fœminificum.

admodum

Phyllum marificum.



Phyllon feminificum.



*admodum perficit, quòd globulis etiam nunc binis ni-
pluribus eidem pediculo inſidentibus continetur. Pu-
tamen ex prioris ſemine vtrumque plantæ genus naſc-
quemadmodum in Mercuriali, Spinachiis, Cannab-
aliisq; nonnullis plantis accidit.*

*Vtraq; autem calidis regionibus, vbi ſpontè naſc-
tur, tota incana eſt, & quodammodo tomenticia, min-
ribusq; multò foliis, quàm in frigidioribus vbi rarò pe-
ennat. Illud etiam ei commune cum Mercuriali, C-
nocrambe, & Heliotropio minori, vt erutæ radices tem-
poris ſucceſſu cæruleum colorem contrahant.*

*Naſcitur vtraq; multis Hiſpaniæ & Galliæ Na-
bonenſis locis ſecundum vias, vbi Aprili, interdum m-
turiùs floret: In Belgio verò non niſi æſtate: & ſingu-
annis ex ſemine deciduo germinat apud nonnullos
herbariæ ſtudioſos.*

φύλλον. ἐλαιόφυλλον. ἀῤῥενογόνον. θηλυγόνον.

NOMEN *Græcum huic plantæ eſt φύλλον & ἐλα-
φυλλον, Latinum Phyllum: & primum genus ἀῤῥενογόν-
alterum θηλυγόνον Theophraſto: contra verò Dioſco-
di, vti diximus. Hiſpani agro Salmanticenſi vtran-
vocant* Yerua de S. Guiteria, *Granatenſes verò* carr-

*Arrhenogoni potu maſculi ſexus fieri partus
Thelygoni feminei, Theophraſtus & Dioſcorides ſi-
ptum reliquere. Salmanticenſes vtriuſq; decoctum o-
nibus animalibus à cane rabido demorſis propinãt, m-
gno ſucceſſu, vt inquiunt. Granatenſibus verò, Mau-
tanis præſertim, ad muliebres morbos magno in vſu*

De Mandragora femina.

CAP. LVII.

Mandragora femina.

MANDRAGORÆ *Feminæ folia anguſtiora ſ-
& minora, atq; nigriora quàm mari, rugoſa etiam
criſpa*

criſpaq́, viroſa ac graueolentia, & humi expanſa: inter quæ pediculi oblongi exiliunt per terram ſtrati, quibus inſident flores Melopeponum forma ſimiles, ſed colore ex cæruleo purpuraſcēte: deinde fructus non in pyri modum turbinatus, ſed rotundus, Veſicariæ fructu triplo maior, per initia viridis, vbi verò maturuit, ex luteo palleſcens, odoratus, intus ſucci plenus, & ſemine (vt in mare) plano, ſed minore nigrioreq́: radix pedali aut ampliore longitudine, interdum bifida, cui aliquot fibræ adnaſcuntur, foris fuſca, intus verò alba.

Supra Gades, itinere Hiſpalenſi non procul Xerez de la frontera vrbe dicta, ad aruorum margines quæ ſecundum flumina ſunt, & quibuſdam aliis Bæticæ locis uliginoſis florentem obſeruaui initio Februarij ante novem annos: & paulò pòſt, eodem videlicet menſe, fructum maturum collegi inter Calpen & Malacam, in mirū toto illo maritimo tractu ſupra fretum Herculeum ad meridiem conuerſo, & admodum aprico propter montes vno aut altero miliari à mari diſtantes, qui à mediterraneis vſq; ad fretum continua ſerie producuntur. In Belgio nunquam vidiſſe memini, neq; ex ſemine quod ex Hiſpaniis detuli germinare vnquam voluit.

Μανδραγόρας μέλας Græcis dicitur, & θριδακίας à foliorum Lactucæ ſimilitudine: Latinis Mandragoras niger & fœmina. μανδραγόρας μέλας. θριδακίας.

HABET Mandragoras, vt ſcripſit Galenus lib. 7. ſimplic. vincentem facultatem refrigeratoriam, adeò vt tertij ſit ordinis refrigerantium: in pomis nonnihil caloris & humiditatis ineſſe ait, proinde ſoporem conciliandi vim habere: & radicis corticem, cùm ſit valentiſſimus, non tantùm refrigerare, ſed & deſiccare.

De Solano ſomnifero.

CAP. LVIII.

Solanum ſomniferum

HVIC *Solano plures ex eadem radice prodeũt cau-*
les cubitales aut ampliores, ſatis craſſi, rotundi, in ali-
quot ramos candicantes & lanuginoſos diuiſi: folia nu-
meroſa, bina ſemper inter ſe oppoſita, mali cotonei foli
ſimilia, denſa, mollia, lanuginoſa, & guſtu aliquantu
lum calida: flores terni aut quaterni inter folia, pallidi
oblonginſculi, quadrifariam diuiſi, caules ambiunt:
quibus ſuccedũt acini in folliculis hirſutis, per matur
tatem nunc rubri, nunc ex rubro crocei: radix ſube
longa, craſſa, dura, foris colore fuſco.

Naſcentem vidi hanc plantam Malacæ, quæ vrb
eſt ad mare Mediterraneum ſita, vulgò Malaga, *i*
arce, inferiore loco petroſo & inter rudera: florentem
& ſemine maturo præditam Februario. Iſtic multos an
nos durat; apud nos verò ſingulis annis ſerenda eſt, ne
ad frugem peruenit, neq; hyemem ferre potis eſt.

στρύχνον ὑπνωτικόν. ἁλικάκαβον.

Dioſcorides στρύχνον ὑπνωτικὸν *&* ἁλικάκαβον *appe*
lat: Theophraſtus στρύχνον ὑπνῶδην*: Latini Solanum*
Somniferum. Plinius etiam Halicacabum vocat

Morion.

Morion. Malacenſes Orualé.

RADICIS *cortex, teſte Dioſcoride, in vino dr*
chmæ pondere potus, ſomnificam vim habet Papaue
ſucco mitiorem, & eius fructus vehementer vrinam ci
Verùm, vt rectè Plinius, auxilia eius non ſunt tan
vt iis commemorandis diutiùs inhærendum ſit, præſe
tim tanta copia innoxiorum.

De Pap

De Papauere corniculato.

CAP. LIX.

PRÆTER *vulgare corniculatum Papauer, quod* ... *ore eſt luteo, duo alia genera obſeruantur.*

VNVM *folio eſt Erucæ modo laciniato & altè inciſo,* ... *ulgari minore & tenuiore, neq; adeò candicante, ſed* ... *irſuto: caules interdum vulgari non minores, tenerio-* ... *s tamen, & graciliores, & procumbentes: flores etiam* ... *inores interdum intenſo colore rubent, interdum lan-* ... *uidiore (præſertim in eo genere quod per omnia tene-* ... *us eſt & minus) nonnunquam etiam pallido ſunt colo-* ... *, mediis foliis ad phœniceum tendentibus, qualis ferè* ... *Adonidis flore conſpicitur: cornicula prælonga qui-* ... *s veluti opercula quædam latinſcula inſident, ſemen* ... *bis nigrum Papauere maius, radix oblonga, candi-* ... *ns, ſed quæ apud nos hyemem non fert: imò etiam vbi* ... *ntè naſcitur, perennem eſſe non arbitror.* II. Papauer corniculatum alterum.

Naſcitur id agro Salmanticēſi iuxta vias, & agro- ... *m margines, floretq; iſtic Junio, ſemen verò Julio pro-* ... *t. In Belgio ſatum, non niſi Auguſto & Septembri* ... *ret, interdum etiam ſeriùs, nec niſi altero à ſatu anno* ... *runq; minimè autem croceo ſucco turget hæc planta,* ... *quidam putauêre. Sed Viennenſi etiam agro ſpontè* ... *ſcitur inter auenas, præſertim quæ ſecundum vias ſa-* ... *ſunt, genus illud quod florem habet pallidum &* ... *eniceum.*

ALTERI *folia ſunt multò minora & teneriora, eaq; * ... *utim admodum diſſecta, neq; candicantia, ſed vi-* ... *a: cauliculi tenelli & ſubhirſuti: flos ſuperiori non* ... *ior, cærulei ex purpureo coloris exaturati, & nigræ* ... *læ æmuli, fugax admodum & qui leuiſſima aura ex-* ... *itur: huic ſuccedunt cornicula digitali duntaxat* III. Papauer corniculatum tertium.

 longitu-

Papauer corniculatum alterum.



Papauer corniculatum tertium.



longitudine, plerumque etiam breuiore, exilia, duriuſcula, rigidiuſq; hirſuta, in quibus continetur ſemen exile admodum, colore ex cinereo nigricante: radix tenuis eſt & inutilis, nec ſupra annum durat.

Inuenitur hoc multis Hiſpaniæ locis, ſed non niſi inter ſegetes: & Maio menſe floret. Apud nos multò ſeriùs, quòd tardè admodum germinet: in nonnullis tamen hortis ſeſe ſemine propagat: ſed in totum multò minus & tenerius, quàm vbi ſpontè naſcitur. quod contrà euenire ſolet in reliquis plantis indè ad nos delatis, quæ plerunq; ob multi alimenti copiam frigidiore nimirum cælo & humidiore ſolo admodum adoleſcunt. Colleg etiam olim agro Narbonenſi inter auenas non procul Latera, ſecundum flumen Ledum.

μήκων κερατῖτις. GRÆCIS, *vti & vulgare*, μήκων κερατῖτις, *Latinis Papauer corniculatum dicitur. Nomen vulgare prioris non audiui: ſed alterum genus quod flore eſt violaceo, Caſtellani* Roſetta, *nonnulli* Amapolas moradas, *id eſt, Papauer flore purpureo à ſucci mororum colore: etenim Papauer erraticum Hiſpani* Amapolas *vocant. Mompeliani meo tempore inter Anemones referebant.*

De Hypecoo. CAP. LX.

Hypecoon. HVIC *folia ſunt multis inciſuris diuiſa, figura, colore, & aſpectu Rutæ admodum ſimilia, molliora tamen, & interdum longiora: cauliculis aliquot, qui in multos ramulos diuiſi, floribus puſillis onuſti ſunt luteis, odoratis, ſenis foliis conſtantibus, ſed mirabili figura, & à reliquis floribus diuerſa: namq; duo folia maiuſcula ſunt, neruumq; viridem foris extrema parte, quæ obtuſior eſt & veluti compreſſa, habent, reliqua*

intermedia

Hypecoon.



intermedia perexigua ſunt: cornicula ſuccedunt in ſingulis ramulis quaterna aut plura oblonga, plana, articulata, & falcis modo recurua: ſemen in ſingulis nigricans & oblongum, quod difficulter admodum eximitur: radix ſingularis, ſublutea, interdum bifida. Planta annua eſt, & ingrati admodum ſaporis.

Primùm iſtam plantam obſeruaui ſupra Nemauſum in Gallia Narbonenſi, inter Aimargues & Vouer Arelatenſi itinere: deinde inter ſegetes copioſam agro Salmanticenſi, & tota Caſtella, Granatenſi item Murcianoq́ regno. Floret Martio & Aprili, ſemen Maio matureſcit. Apud nos ſata prouenit, ſed longè tenerior etiam, quàm iis locis vbi ſpontè naſcitur, tum ſeriùs floret: ſemen tamen eius plerunq́ matureſcit.

C V M *primùm hanc plantam obſeruarem, ilicò mihi viſa eſt plurimùm ad Hypecoi hiſtoriam accedere,*
ὑπήκοον. ὑπόφεον. *quod Græcis* ὑπήκοον *&* ὑπόφεον *dicitur. Non deſunt tamen qui ad Cuminum ſilueſtre alterum Dioſcoridi deſcriptum referre malint, licet facultates ſint diſſimiles. Vocatur autem hæc Granatenſibus & Murcianis* çadorija.

D I O S C O R I D I, *Plinio, Galeno, natura eius eadem quæ papaueris ſucco.*


De Braſſica campeſtri.

CAP. LXI.

Braſſica cãpeſtris. *1.* P E D A L E S *habet hæc planta caules, candicãtes, rotundos, aliquot ramis præditos, folia per interualla, Perfoliatæ ſimilia ferè, candicantia, colore Braſſicæ, guſtu feruido, caulemq́ ſic amplectentia, vt tenellæ plantæ plurimum ad Perfoliatam accedant: ramuli exeũt è ſingulis alis tenues, quibus inſident aliquot flores can-*

didi

Braſſica campeſtris 1.



*didi Braſſicæ floribus ſimiles, deinde cornicula, ſiue ſili-
quæ oblongæ quadrangulæ, in quibus continetur ſemen
minutum.*

2. ALIVD *eius genus firmioribus virgis, neq; adeò
ramoſis, cuius folia in ſummo aliquantulum ſerrata, &
calidi etiam vt alia guſtus: flores priori ſimiles, maio-
res, Leucoij aut Violæ matronalis æmuli, purpurei &
Bolbonac floribus non abſimiles. Vtriuſque radix lice
dura fibroſaq; & candida, annua tamen eſt.*

*Plurima regno Murciano ad Eliocrotam vrbem
vulgò Lorca, in agris & iuxta vias naſcitur. Flore
Martio. Primum genus agro Viennenſi etiam fre
quens in agris.*

INCOLÆ *Hiſpani* Collejon *appellant, quaſi Braſ
ſiculam dicas. Sunt qui Braſſicam ſemine quadrangul
vocent: poſſet etiam Braſſica campeſtris nuncupari
Eius acrimonia proximè ad Braſſicæ facultates han
plantam accedere indicio eſt.*

De Cerinthe quorundam.

CAP. LXII.

1. QVATVOR *aut quinq; interdum ſunt rami hui*

Cerinthe quorundam

*plantæ ab ipſo caule ſecundum radicem exeuntes, rotun
di, ſucculenti, nonnunquam cubitales, quos amplectũ
tur numeroſa folia, oblonga, cuſpide obtuſa, & circa pe
diculum latiora, viridia & quaſi cærulea, maculis can
didis aſperſa & nonnihil hirſuta: ex foliorum ſinu ra
muli alij naſcuntur Heliotropij maioris modo ſeſe in
torquentes pleni florum ſecundum ramulorum longitu
dinem diſpoſitorum, oblongorum concauorum, medi
& extima parte luteorum, altera qua ramulis inhæ
rent, ex rubro purpureorum, interdum etiam omnin*

luteorum

Cerinthe quorundam.



luteorum, quibus apes admodum delectantur : quibus decidentibus duo plerunq; in eodem calyculo ſemina conſpiciuntur erui magnitudine, nigra ; ſeminis Echij, aut Ciceris arietini forma : radix alba , oblonga , & ſatis craſſa.

Naſcitur ea nonnullis Luſitaniæ locis , ſed copioſe per totam Bæticam: & floret primo vere & Martio: apud nos ſeriùs multò, & ſingulis annis perit , ex ſemine deciduo renaſcens.

II. ALIA *eſt eiuſdem generis, ſed minor & tenerior gracilioribusq; ramis & flexibilioribus, quibus mult inſident flores ſuperiori longè minores, & extrema part denticulati, lutei omnino : quibus ſuccedit ſemen alter ſimile, ſed minus.*

In Belgicis hortis alitur vnà cum ſuperiore: eodemq tempore floret: nec antè ſpontè naſcentem conſpexeram quàm in Auſtriam venirem, vbi, atq; etiam in Stiria copioſè naſcitur, hyeme interdum virens.

DE *huius nomenclatura variæ ſunt inter Neoteri cos ſententiæ : Nam alij Cerinthen eſſe volunt, ea ra tione ni fallor ducti, quòd apibus grata ſit, quod de Ce rinthe & teſtatur Virgilius in Georgicis, & Plini lib. 21. cap. 12. Vulgus herbariorum etiam Memi*

Memitha. *tham magno errore vocauit : etenim Memitha Ara bum nihil aliud eſt quàm Glaucium Græcorum. Ne*

Maru. *deſunt qui Maru ſiue Almaru Auicennæ libro 2 tractatu 2. deſcriptum putent, præſertim tertiam ei ſpeciem: qua, vt verum fatear, nihil videtur Auicen na aliud deſcribere, quàm vulgare noſtrum Bugloſſu aut Borraginem: quibus hanc noſtram temperament proximam exiſtimo.*

De Alſin

De Alſine repente.

CAP. LXIII.

SARMENTIS *veriùs quàm caulibus iisq́; numeroſis hæc planta eſt prædita, geniculatis, flexibilibus, altitudinem humanam plerunq; ſuperantibus, præſertim ſi frutices quos ſcandere poſſit vicini adſint, alioqui propter infirmitatem humi diffuſis: bina in ſingulis geniculis & internodiis folia ex aduerſo ſita, Alſines vulgaris foliis figura & colore ſimilia, ſed longè maiora, & ad Helxines magnitudinem accedentia, mollia: flores ex calycibus ſeu folliculis prodeuntes ex herbaceo candidi ſex foliis conſtant, quibus ſuccedunt acini Piperis nigri magnitudine folliculo illo incluſi, initiò virides per maturitatem nigri, ſemine exiguo, & plano pleni: radix candida, fibroſa admodum, longa & ſarmentitia: quæ ſingulis annis nouos caules promit aliis per hyemem marcidis & corruptis.* Alſine repēs.

Copioſa inuenitur agro Salmanticenſi locis vmbroſis circa ſepes. Nobis etiam nunc in hortis frequens, & pergulas ſcandens. Superiore vere frequentem etiam obſeruaui poſt arcem Eberstorff magnifici ac generoſi Dn. Hieronymi Beck à Leopoldstorff: loco paludoſo inter arundines. Floret tota æſtate.

SVNT *quibus* κυκλάμινος ἑτέρα, *Cyclaminus altera Dioſcoridis (quam nonnulli* κισσάνθεμον ἢ κισσόφυλλον *vocant) dicatur, quoniam multis cum Dioſcoridis deſcriptione notis conueniat: ſapor tamen inſipidus & herbaceus facit, vt eam ad Alſines genera retulerim. Lectori tamen liberum relinquo, ad quam voluerit claſſem referre.* κυκλάμινος ἑτέρα.

CYCLAMINI *alterius acinos drachmæ vnius podere cũ vini albi cyathis duobus potos per quadraginta*

dies,

Alſine repens.



ies, lienem per vrinam & aluum abſumere teſtis eſt Dioſcorides: ad orthopnœam bibi, & reliquias à partu epurgare.

ALSINEN *verò vim refrigerandi adſtringendiq́ btinere, oculorum inflammationibus cum polenta illi- i: ſuccum aurium doloribus infundi, & omnia quæ Ielxine emendare.*

De Alſine corniculata.


CAP. LXIIII.

PALMARIS *hæc eſt herbula, vnico caule, qui in liquot ramos ſeſe diuidit, geniculato, tenero, hirſuto t in Alſine vulgari: folia Alſines, paulò oblongiora, rſuta etiam, inter ſe oppoſita, & ex interuallis gemi- a: alarum cauis inſident puſilli flores candicantes, qui- s ſuccedunt cornicula membranea & tranſparentia, llinaceorum calcarium forma, quæ lento quodam cō- erſa humore tingentibus deprehenduntur: ſemen in s exiguum, vbi maturuit nigrum: radix inutilis & nua. Tota inſipida eſt.*

Inter ſegetes agro Salmanticenſi frequens, vbi Maio ret, & ſemen perficit.

ALSINES *aliud genus non vulgare, circa* Xerez la frontera, *aliisq́ nonnullis Bæticæ locis obſeruaui, ule ſimplici, interdum multiplici, geniculato, dodrā- m alto, ſubrubente, aliquot ramulis concauo: foliis is anguſtis, ſed ad pediculum latioribus, & extre- a parte mucronatis, dorſo elatiore, non hirſutis vt terius, ſed læuibus & atro virore conſpicuis, ſemper minis inter ſe ad ſingula genicula oppoſitis: extremi muli onuſti ſunt veluti capitulis Symphyti petræi, ribus oblonginſculis & purpureis refertis: radix can- dida,* Alſine alia.

Alſine corniculata.



lida, mediocris. Florebat Ianuario, nec vſquam alibi mihi conſpecta eſt.

Ad Auriculæ muris hiſtoriam, quam Græci μυὸς ὠτίδα vocant, multum accedit: ſolus flos, qui non eſt Anagallidis, neq; cæruleus, refragari videtur. Si cui non placet, certè Alſines genus eſſe non diffitebitur, quæ Dioſcoridis teſtimonio, nonnullis etiã μυὸς ὦτα dicitur. μυὸς ὠτα.

Radix Auriculæ muris illita ægilopia ſanat Dioſcoridi. Galenus eam deſiccare ordine ſecundo: cæterùm nullam euidentem caliditatem poſſidere. At Plinius vim ei ſepticam tribuit, & exulceratricem: quã ſinè in ea quam hîc propono planta non inuenias, cùm potius eiuſdem cum Alſine ſit temperamenti.

De Condrilla. CAP. LXV.

Lata huic plantæ ſunt folia, Cichorij in modum diuiſa, omnino incana, & denſa tomentoſaq; lanugine obducta: inter quæ caulis emicat pedalis aut amplior, rotundus, candidus, aliquot ramulis brachiatus, & foliis minoribus atq; anguſtioribus ornatus, quibus, atq; etiam ipſis ramulis plerunq; inhærent grumi fulueſcentis ſucci iſtic concreti: flos extremis ramulis ſuſtinetur luteus, in pappos euaneſcens: radix longa, nigricans, digiti minimi craſſitudine. Tota veluti dixi planta incana eſt, & ſucco prægnans, qui ſiccatus fulueſcit & amaris eſt. I. Condrilla prior.

Inuenitur agro Salmanticenſi locis incultis, & multis aliis Hiſpaniæ regionibus, Auguſtoq; floret vel etiam ſeriùs.

Nonnulli Hiſpani eodem nomine, quo Phyllon vocari dixi, indigetant, eam Yerua di S. Guytero nuncupantes, eaſdemq; illi facultates tribuentes,

Condrilla prior.



nempe, quòd eius decoctum præmorſis à cane rabido vtiliter exhibeatur. Mihi plurimum ad primam Dioſcoridis Condrillæ ſpeciem accedere videtur, quæ Græcis κονδρίλλη, καὶ κιχώριον, ἢ σέρις appellatur. κονδρίλλη.

CONDRILLÆ gummi cum myrrha tritum & inteo appoſitum, inſtar oliuæ, feminarum menſes trahit. Ipſa contra viperas in vino pota, proficit: quæ faultates cum iis conueniunt quas Scurſoneræ ſuæ triuunt Hiſpani.

Bellonius lib. 2. obſeruationum cap. 91. dicit Conrillæ gummi in Syria vulgare eſſe, & mulieres eo vti Maſtichis loco. Libro item primo cap. 31. ait fabris gnariis glutinis vicem præbere.

CONSPICITVR eodem agro Salmanticenſi poſt eſſes in aruis Condrillæ genus vimineum planè, longis ntisq; & flexibilibus virgis, candicantibus, ſeſquicutalibus, & tactu viſcidis, multis exiguis foliolis ſendum longitudinem naſcentibus, quæ ſecundum racem initio maiora ſunt, Cichorei ferè inciſura, poſteà ccceſcunt: extremi rami floſculum exiguum luteum in pappos euaneſcentem ſuſtinent: radix oblonga, lacte manans, vt & reliqua planta. Floret quo ſurior tempore. II. Condrilla viminea.

Salmanticenſes Iunquerina vocant, & ex ea ſcopas ficiunt. Alij Ajunjera.

Non dubium eſt quin hoc genus iiſdem cum altero ultatibus præditum ſit: iſtic tamen nullo in vſu eſt, terquam quòd pueri viſcum ex eius radice cum nimelle conficiunt, ad cardueles aliasq; auiculas candas idoneum.

De Eruca peregrina.

CAP. LXVI.

Eruca peregrina.

ALIQVOT caules ex vna radice prodeuntes ha
bet hæc planta, ſeſquipedales, rotundos, graciles, & i
his multa folia oblonga, anguſta, incana, nonnihil ve
uti circumroſa, acri ſapore: flores in ſummis caulib
congeſtos, luteos, Eruca vulgari minores, quibus ſu
cedunt ſiliquæ ſeu folliculi ſubrotundi, tumentes, i
quibus ſemen ſubrufum, acre: radix eſt minimi digi
craſſitudine, candida, nonnullis fibris prædita.

Creſcit quibuſdam Caſtellæ locis incultis & ſec
vias: vbi Maio floret. In Belgium illata, non niſi Iun
& Iulio.

SVNT qui Leucoium ſemine rotundo vulgò voc
rint, ob aliquam, vt puto, quam eius folia cum Le
coij foliis ſimilitudinem habent. Sed mihi inter Eru
genera referenda videtur. Vulgare nomen nullum no

De Naſtur

Eruca peregrina.



De Naſturtio ſilueſtri Valentino.

CAP. LXVII.

Naſturtium ſilueſtre.

VNICVS huic eſt caulis, ſed ſtatim à radice ſupra ſolum multis alis diuiſus, hirſutus & aſper, virens, rotundus, pedalis, foliis tenuibus & multifidis, Naſturtij ferè vulgaris æmulis, ſed tenuioribus, viridibus, acr guſtu & ſapore, vulgaris Naſturtij modo: fert extremis ramis ſpicatim pallidulos floſculos, deinde exigua ſiliquas duabus valuulis conſtantes cum ligula promi nente, in quibus ſemen continetur Naſturtij. radi ſingularis, candicans, quæ ſingulis annis perit.

EODEM loco, eodemq́ tempore, nempe Martio florentem hanc & ſemine prægnantem inueni, quo A lyſſon Galeni, regno Valentino: & quòd pleraſq; nota cum Naſturtio communes habeat, Naſturtij nomin vocaui, cui (quantum ex guſtu diiudicare licet) perſi miles facultates habet.

De Ruta montana. CAP. LXVIII.

Ruta montana.

RVTA montana eademq́ ſilueſtris, non ea quam Dioſcorides peculiari capite deſcribit, ſed cuius capi de Ruta mentionem facit, herba eſt multis foliis p terram ſtratis, multifidis tenuiſſimeq́ diuiſis, pallic virore candicantibus, & grauiſſimi acerrimiq́ odori ab radice, quæ longa eſt, candida, lignoſa & digiti m nimi interdum craſſitie, duos aut tres nonnunquā ca les profert, in ternos aut quaternos ramulos ſeſe ſuperi re parte diuidentes, qui florem ſuſtinent hortenſi ſim lem, minorem verò & ex luteo palleſcentem, deinde liquas quadrangulas, in quibus ſemen continetur ex guum, nigrum & acre.

To

Naſturtium ſilueſtre.



Tota planta grauiſſimi odoris eſt, & tantæ acrimoniæ, vt per triplices chirothecas ad manus penetrare ſæpè expertus ſim: & ſi quis qua eam decerpſit manu faciem demulceat, ilico vehementem inflammationem excitet, quemadmodum rectiſſimè ſcripſit Dioſcorides.

SICCIS *petroſisq; et ſole aduſtis locis ſponte naſcitur, veluti pleriſq; Hiſpaniarum & Galliæ Narbonenſis locis.*

Floret Iunio & Iulio, ſed Auguſto ſemen perficit. In Belgio ſata altero tantùm anno floret, idq; ſerius frigoris impatientiſſima, & plerunq; à flore tabeſcens.


πήγανον ὀρεινόν. HANC *Dioſcorides* πήγανον ὀρεινὸν, καὶ ἄγριον *vocat, id eſt Rutam montanam & ſilueſtrem, eius verò radi-*μῶλυ ὀρεινόν. *cem* μῶλυ ὀρεινὸν, *hoc eſt Moly montanum: fortè Ruta mas Pythagoræ apud Plinium. Hiſpani ab hortenſi non diſcernunt, ſed communi cum illa nomine* Rud[a] *appellant.*

CIBIS *damnatam refert Dioſcorides: etenim ſi copioſius edatur, interficere: cutem dum colligitur inflare, & rubore quodam inficere cum pruritu & vehementi inflammatione: in Antidota autem eius ſeme[n] commodè addi.*

De Harmala. CAP. LXIX.

Harmala. FRVTICOSA *hæc eſt planta, multos ab vna radi[-] ce emittens cauliculos, pluribus ramis ſeu alis conc[a-] uos, pedales, ex viridi nigricantes: folia oblonga, dēſ[a] ſiue pinguia & carnoſa, ſaturatius virentia, multifid[a,] Napelli tenuifolij (quem quidam Antitoram vocant) folijs ferè ſimilia, guſtu lento & gummoſo, amara [&] aliquantulum mordicantia: flores in ſummis ramis c[an-] didi, quinq; foliolis conſtantes, & multis in medio fib[ris] lute[is]*

Harmala.



luteis præditi: deinde capitula hortenſi maiora, mollio-ra, triangula, ſemine referta ex rufo nigreſcente anguloſo & inæquali: radix dura, digiti minimi nonnunquam craſſitie, fibroſa, colore ex luteo palleſcente. Tota planta graueolentis atq; adeò ingrati odoris eſt.

Plurima in Caſtella noua circa Madritium & Guadalajara collibus & læto ſolo prouenit. Floret Iulio & Auguſto, ſemen Septembri matureſcit. Ego & florentem, & ſemine prægnantem etiam Octobri iſtic reperi. In Belgio ſata, aliquot annos interdum perdurat, ſed vix aut raro admodum ad florem peruenit, frigoris vti ſuperior impatiens.

πήγανον ἄγειον. ἄρμαλα. Beſaſa.

ETIAM πήγανον ἄγειον hanc quibuſdam appellari Dioſcorides ſcribit: Cappadocibus μῶλυ, aliis ἄρμαλα, Syris Beſaſa: Latini Rutam ſilueſtrem & Harmalam dicunt. Caſtellani Gamarſa & Cogombrillos amargos, id eſt cucumeres exiguos amaros vocant.

SEMEN cum melle, vino, croco, & feniculi ſucco, ac gallinaceo felle teritur contra retuſam oculorũ aciem referente Dioſcoride.

Bellonius lib. 2. obſeruationum cap. 21. ait arenoſis circa Alexandriam Ægypti locis naſci, & apud Arabes, Ægyptios Turcoſq; vario in vſu eſſe: præſertim verò hanc conſuetudinem apud eos inoleuiſſe, vt eius fumum ſingulis diebus manè excipiant, ea ratione, omne genus noxiorum dæmonum abigere ſibi perſuadentes: eamq; ob cauſam in omnium Inſtitorum officinis inueniri plantam venalem, aut eius ſemen.

De Hyperico

De Hyperico ſupino.

CAP. LXX.

GENVS *Hyperici multis ramulis hirſutis per ter-*
am ſtratis præditum inuenitur, numeroſis confertiſq́
liis eos ambientibus, alteri Hyperico ſimilibus, ſed
lanè tomentoſis & incanis: flores ſecundum ramulos
itei, aliquãtulum tamen pallidiores & minores, quàm
vulgari: quibus ſuccedunt capitula vulgari ſimilia:
dix lignoſa & dura, ſubinde etiam ipſi rami per ter-
m ſtrati radices & fibras agunt. Hypericum ſupinum.

In conuallibus quibuſdam non procul Salmantica
eſcit, vbi Iulio florentes plantas inueni tam latè ſpar-
s & diffuſas, vt petaſum amplum æquare poſſent:
m in Valentini regni maritimis, vbi Martio floren-
m conſpexi.

SINE *dubio inter Hyperici genera referri hæc de-*
t, cùm plurimùm illi reſpondeat: imbecillior tamen,
vulgari minus odora.

Doctiſſimus Plaça medicus & profeſſor in acade-
a Valentina celeberrimus, Rutam ſilueſtrem Dioſ-
idis eſſe dicebat, quæ à Ruellio inter notha reiecta
, cuius deſcriptionem inde petere licet: Salmanticen-
s vulgò Coraçonçillo, *quemadmodum Hypericum*
mmune dicitur. Ruta ſilueſtris.

De Thapſia.

Hypericum ſupinum.



De Thapſia. CAP. LXXI.

FERVLACEA *habet folia, viridia, ſubhirſuta, in-* I.
grati ſaporis, per terram veluti in orbem diffuſa, inter Thapſia latifolia.
quæ cubitalis & bicubitalis exilit caulis digiti craſſitie,
odoſus, intus cauus & fungoſus, vmbella magna &
ata, & ſphæricam figuram, dum maturuit ſemen, re-
erente, quæ à ſingulis ſurculis erumpit: flore luteo: ſe-
nine lato & aceroſo, ſed ipſius germine longo & angu-
to: radix craſſa, longa, per ſumma capillata, craſſiore
ibro veſtita, foris ſubnigro, intus candicante, lacteo
ucco plena, guſtu amariſſimo & acri, nauſeam tamen
ouente, adeò ingrata eſt: medius eius neruus fungoſus.

Gaudet collibus petroſis, quales ſunt non procul ab
ſtiis Tagi, & multis aliis Luſitaniæ, Hiſpaniæq; locis
ditioribus & incultis. Floret Auguſto, nonnunquam
aturiùs.

IISDEM *in locis aliud genus inuenitur cubitali* II.
aule, graciliori quàm ſuperioris vmbella ſimilium flo- Thapſia tenuifolia.
um & ſeminis, ſed minore: foliis altera multò tenuio-
ibus, Fœniculi ferè, nullius inſignis qualitatis partici-
ibus: radix longa, digitali craſſitie, foris nigra, intus
andida & fungoſa, acris, in ſummo capillata.

Θαψία *Græcis, Latinis etiam Thapſia, Murcia-* θαψία.
is & Valentinis çumillo, *à ſucci ni fallor abundantia*
ppellatur: reliqui Hiſpani Cañaheja *vocant, quod*
ocabulum omnibus ferulaceis plantis, (quarum ſum-
a varietas per vniuerſam Hiſpaniam) commune eſt:
am & Ferulæ, & Libanotides illis etiam Cañaheja
icuntur, quòd videlicet harundinaceum caulem
abeant.

Granatenſes imperiti Pharmacopœi, eius radice loco
urbith magno errore vtūtur: peritiores autem diſcer-
ere norunt.

VERVM

Thapſia latifolia.



VERVM quæ Salmanticenſibus Thapſia, vulgò III.
verò Cañaheja dicitur, longè maior eſt ſuperiore: caule Thapſia Salmanticenſis.
rium aut quatuor digitorum craſſitie, altitudinem humanam ſæpiſſimè ſuperante: flos & ſemen ſuperiori ſimilia: folia multò ampliora: radix etiam craſſior; quæ vetulis medicinam iſtic exercentibus magno eſt in vſu ad prouocandos menſes, aliasq; deiectiones moliendas. Tanta autem vi cùm ſupernè tum infernè purgat, vt ſumentes in ſummum diſcrimen ſæpenumero conijciat.

Naſcitur ea non ſolùm agro Salmanticenſi, ſed circa Pinciam, vulgò Valladolid, & tota veteri Caſtella ad Pyrenæos montes vſq;.

EODEM agro Salmanticenſi & vicinis locis ferulacei generis quædam planta inuenitur Tuero illis vul- Tuero.
gò vocata, foliis Libanotidis, in terra ſimiliter expanſis, rore quodam lento & glutinoſo ſemper conſperſis, & ...o virore ſplendentibus: radix craſſa, longa, tenera ... fragilis, foris nigra, intus alba, lacteo ſucco plena: caulem nullum obſeruaui, ſed eum ferre dicitur rectum, ...uem, & in eo vmbellam florum coactam ferè in ...bum.

Tota planta teterrimi odoris eſt: itaq; eam veriſimi...ſt non minus noxiam eſſe quàm Thapſiam, ad cuius ...us referenda mihi videtur.

De Selino peregrino.

CAP. LXXII.

VMBELLIFERARVM duo genera agro Salmã...nſi obſeruaui, quæ ad Selini genera commodè referri ...e arbitror.

VNVM primis Coriandri aut Elaphoboſci foliis I.
...libus, per terram ſtratis; inter quæ caulis exilit cubitali

bitali altitudine, multifidus, flores in vmbellis feren
candicantes, deinde ſemen Petroſelino vulgari ſimil
acre & aromaticum: radix longa, digitali craſſitie, can
dida, odorata, Selini ſapore.

Naſcitur in vinetorum marginibus iuxta vias; Fl
ret Iulio, ſemen Auguſto matureſcit.

II. ALTERVM multa habet ab vna radice prodeun
tia folia Cicutæ ſimilia, ſed quæ caulem ambiunt ſun
minora: caulem cubito maiorem, interdum vnicum
nonnunquam plures, & in his vmbellas candidorum
florum, quibus ſuccedit ſemen latum, minus quàm F
rulæ: radix digitali etiam craſſitudine, aromatica can
dida, & vtcunq; acris.

Prouenit locis apricis & ſole illuſtratis. Iulio flore
Auguſto ſemen profert.

Mirum in modum vrinā ciere iſtic mihi referebant

Seſeli Maſſilienſe forte. ILLIS non poſſum non adiungere vmbelliferam
quandam plantam quam iſtic quidem obſeruaui cum
ſuperioribus: ſed multos annos antè etiam agro Mon
peliano, & toto illo tractu Maſſiliam vſque, quæ mi
plurimùm ad Seſeli Maſſilienſis deſcriptionem à Di
coride traditam accedere videtur.

Conſtat autem ea foliis Anethi ferè, exilibus
minutim inciſis, Rutæ propemodum colore. Cauler
habet vnicum, interdum cubitalem, ſed ſæpiſſimè m
norem, in aliquot ramos diuiſum, qui vmbellas flor
candidorum aut purpuraſcentium ſuſtinent: ſem
Apij; radice longa, alba, digitali etiam craſſitie n
nunquam, ſatis aromatica.

Caſtellani Enxalmos vocant.

De Plu

De Plumbagine quorundam.

CAP. LXXIII.


MVLTOS *ab vna radice caules emittit cubitales,* Plumbago.
aut ampliores, plurimis ab infima parte ad ſummum
vſq; ramis lentis & vimineis diuiſos: folia Lepidij mi-
nora, & Iſatidis ferè, viridia, ſucculenta, acerrimi gu-
ſtus & vrentis facultatis: flores habet in ſummis ramu-
lis confertos, membraneo & hiſpido calyculo glutineóq;
quodam obſito incluſos, quinq; foliolis cōſtantes, ex pur-
pura cæruleos: ſemen nigrum, exiguo auenæ deglubatæ
grano ſimile: radix alba, longa, digitali craſſitie, vnica,
in nouella (qualem hîc exhibemus) planta: ſed vbi ad-
oleuit, multifida, longè latéq; ſeſe ſpargente, atque ad
ipſum, vnde propagines iſtæ dependent, caput, nouos
caules ſæpenumero proferente.

Prouenit pleriſq; Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis cali-
dioribus iuxta vias: variis item Galliæ Narbonenſis
locis obſeruaui. Seriùs floret. In Belgio rarò admodum,
& non niſi Septembri: eáq; de cauſa, tametſi floreat, ſe-
men ad maturitatem nunquam iſtic peruenire poteſt.

ANTONIVS *Nebriſſenſis hanc plantam Lepidiū* Lepidium.
vocauit. Sunt qui Molybdænam, hoc eſt Plumbaginē Molybdæna
Plinij putent: vulgò Herba S. Antonij dicitur. Nar-
bonenſibus meo tempore Dentilaria appellata eſt, quòd Dentilaria.
dentium dolori mederi crederetur, etiam manu retenta.
Granatenſes vulgò Beleſa *vocant.*

PLINIO *Molybdæna commanducata, ſi oculus*
ſubinde elingatur, vel (vt alij malunt) liniatur, plum-
bum (quod eſt genus vitij) ex oculo tollitur.

Plumbago quorundam.



De Tithymalo. CAP. LXXIIII.

TAMETSI *nunc plura Tithymali genera inueniantur, quàm veteribus deſcripta ſint: ea tamen nobis confundenda non ſunt, ſed quàm commodè poſſumus ad illorum deſcriptiones referenda.*

CHARACIÆ *multas ſpecies obſeruaui, quas, cùm aliis deſcriptæ ſint, non opus eſt hîc repetere. Vnius tamen quæ præ cæteris Dioſcoridis deſcriptioni conuenire videtur, hiſtoriam adycere hîc libuit.*

VNICVS *illi, interdum plures caules cubitales aut ampliores, rubri, digiti minoris craſſitudinem æquantes, inferiore parte glabri, foliorum duntaxat veſtigiis inſigniti, & veluti inſecti, quales illi Dioſcorides capite de Sedo tribuit, ſuperiore verò foliis Oleæ maioribus longioribusq́ue, duris, læuibus, & viridibus, minoribus tamen Amygdali foliis ornati ſunt, deinde in plures iunceos & firmos ramulos vmbellæ in modum diuiduntur, quos ambiunt veluti acetabula, aut caueolæ foliis Balnearum ſimiles, & in his flos, nō ſubluteus aut pallescens, quemadmodum in aliis, ſed niger, poſteà fructus tricoccus, in quo ſemen per maturitatem exiliens reliquarum Lactariarum modo: radix dura & lignoſa.* 1. Tithymalus characias.

Naſcitur id genus in aſperis montoſisq́ue, per Hiſpanias, regno Valentino & circa Malacam, atque etiam ſupra Arelaten itinere Maſſilienſi, & quibuſdam aliis Narbonenſis Galliæ locis. Tota planta lacteo ſucco madet: Floret Martio.

2. ALIVD *ei ſimile ferè, ſed pluribus caulibus ab vna radice prodeuntibus, foliis mollioribus & lanugine pubeſcentibus, flores pallidi.*

Creſcit etiam in Hiſpaniis, deinde in Gallia tam Narbonenſi quàm reliqua, Heluetiis, & reliqua Germania. Apud nos in hortis ſemel ſatũ, copioſè prouenit.

Tithymalus characias legitimus 1.



MYRTITES *legitimus Hiſpanis & Gallis ignotus: nam Valentinorum Myrtiten quidam inter Characiæ genera referre malunt.* II. Tithymalus myrtites.

LATIFOLIVM *etiam Tithymalum verum legitimumq́; obſeruaſſe me exiſtimo.* III.

EST *autem Platyphyllos Tithymalus mihi creditus, pedali, interdum maiore altitudine, aliquot ab radice emittens ramos, nonnunquam ſimplici caule aſſurgens, circa quem ampla folia, mucrone rotundiore, ad Iſatidis nouellæ foliorum formam accedentia, viridia, aliquantulum carnoſa, & ſucco palleſcente tum etiam acri turgentia: flos qui ex luteo purpuraſcit, ramulis inſidet, ac veluti acetabulis quibuſdam continetur, vt in reliquis Tithymali generibus: radix craſſa eſt & candida.* Tithymalus platyphyllos

Vno Valentino regno inter Biar & Huentiniente, via ſalebroſa inter medios frutices duntaxat obſeruaui florentem Martio menſe.

LATINIS τιθύμαλος *auctore Plinio, Lactaria, & Lactuca caprina nominatur. Hiſpanis* Leche trezna & arnaballo. τιθύμαλος. Lactaria.

Mas mihi deſcriptus, χαρακίας, *id eſt vallaris;* κομήτης, *ab ampla & effuſa coma,* ἀμυγδαλοειδὴς *à foliorum figura, &* κωβιὸς *cognominatur.* χαρακίας. ἀμυγδαλοειδής.

Latifolium πλατύφυλλον *à foliorum amplitudine (nec enim vllius, vt Plinianis verbis vtar, latiora ſunt folia) appellant Græci.* πλατύφυλλος

PORRO *Tithymali omnes, teſte Galeno, vincentem habent acrem & calidam facultatem: ineſt verò & amaritudo.*

Tithymalus platyphyllos III.



De Pepli. CAP. LXXV.

LACTARIIS *congener eſt Peplis, coma per terram diffuſa, tota lacteo humore turgens vti illæ, ſed illarum modo haud aſſurgens: ramuli eius digitales, teretes, nunc purpurei nunc herbacei deprehendũtur: folia inter Portulacam ſilueſtrem et Chamæſycen media, his craſſiora & maiora, illis verò minora & tenuiora: flos ex herbaceo purpuraſcens: ſemen exiguum in triangulis valuulis ſub foliis latentibus: radix puſilla.* Peplis.


Abundè hæc naſcitur in omnibus Mediterranei maris littoribus cùm Hiſpaniæ, tum Narbonenſis Galliæ, nec vſquam alibi mihi conſpecta, ne in cultiſſimis quidem Belgij hortis.

DIOSCORIDES *hanc* πεπλίδα *vocat, & ab aliquibus* ἀνδράχνην ἀγρίαν, *ab Hippocrate verò* πέπλιον *dici ſcribit: & viribus Peplo reſpondere.* πεπλίς. ἀνδράχνη ἀγρία. πέπλιον.

Peplis.



Chamæſyce.



De Chamæſyce. CAP. LXXVI.

SVPINA *etiam hæc, & humi procumbens, ramu- numeroſis, teretibus, quaternorum digitorum tranſ- rſorum longitudine, aut etiam interdum longioribus, doſis ſeu geniculatis, purpuraſcentibus, qui in orbem fuſi iacent: folia puſilla Lenti aquaticæ forma per- am ſimili, Peplide minora & teneriora: flos illi Pe- dis aut Tithymali Cypariſſiæ: fructus tricoccus, Pe- de minor, ſub foliis recõditur: radix tenuis et inutilis.* Chamæſyce

Lacti ſimilem ſuccum hæc herba etiam emittit vu
nerata, non minus quàm ſuperiores.

Copioſa vbiq; agro Salmanticenſi, ſquallidis & p
troſis locis, atq; etiam inter vineta (vti & circa Mon
pelium) & pleriſq; aliis Hiſpaniæ locis. Apud nos ſ
mel ſata in hortis præſertim macro ſolo, ſemet ſuo ſem
ne ſerens ſingulis annis renaſcitur.

χαμαισύκη. Χαμαισύκην *appellant Græci, &* συκῆν *vti Peplum*
Salmanticenſes Nogueruela *quaſi pumilam nucem d*
cunt, nimirum à ſeminis forma, vti puto.

Abſterſoria et acri facultate pollet vti et Tithyma

De Aloë America.

CAP. LXXVII.

ALOES *huius deſcriptionem ante aliquot ann*
in noſtris ad Aromatum hiſtoriam adnotatiuncu
polliciti ſumus. Et licet hîc non ſuo ordine reponi vide
tur, quòd tuberoſis potiùs fuiſſet adÿcienda: rigida t
men eius facies, à vulgari Aloë planè diuerſa, fac
vt aculeatarum claſſi eam accommodarim.

Aloë Americana. MVLTA *ſunt illi folia, humana longitudine, ſat*
ratiùs virentia, læuia, inferiore ſede trium aut quatu
digitorum tranſuerſorum craſſitie, quodammodo ca
nata, & valdè lata, mutuò ſeſe amplectentia, vti
vulgari Aloë & Aſphodelis, ſenſim verò in mucro
deſinentia, qui nihil aliud quàm ſpina eſt nigrican
craſſa, duos digitos tranſuerſos interdum lõga, & ad
firma, vt Americi pro ſubula vterentur, & cuſpidis
co ad ſua tela adaptarent: foliorum latera, quæ tenu
ra ſunt, ſpinis eiuſdem coloris horrent, ſed breuiorib
baſi latiore, & deorſum recuruis vt in Rhamno tert
interiore parte fibroſa ſunt hæc folia et ſucci plena am

& acr

Aloë Americana.



& acris. Ex eorum medio caulem enaſci intellexi(n lum enim vidi) brachiali craſſitudine, & breuio lanceæ altitudine: radix eſt craſſa, oblonga, incur & veluti internodiis articulata, è cuius geniculis ad tera adnaſcuntur aliæ plantæ alternatim, quemadm dum in Arundinum nodis germina ſeu gemmæ ſu diſpoſitæ.

Primùm mihi hanc plantam demonſtrauit clari vir D. Joannes Plaça medicus & profeſſor Valentin primo ab vrbe Valentia lapide in monaſterio Diuæ V gini ſacro, cui cognomen de IESV *inditum eſt, eod quo Perſea creſcit hortulo, poſteà aliis etiam locis o ſeruaui: erutam autem vidi omnium maxima radi in ſuburbano ornatiſſimi viri Petri Alemani, cu hoſpitio exceptus eram, duorum ferè cubitorum lõgi dine, ad cuius latera triginta ferè pumilæ plantæ ena erant, ex quibus duas detractas, atq; mecum in Belg delatas, vnam generoſo Dn. Carolo à Diuo Audom ro piæ memoriæ, viro rei herbariæ, & omnium natu miraculorum ſtudioſiſſimo & peritiſſimo, quæ ſecun hyeme periit, alteram Petro Coldebergo pharmacop doctiſſimo dedi, quam etiam nunc apud eum aſſeru puto. Ex eius autem planta hanc iconem delineari iu ne quis putet vulgaris Aloës eſſe. Viuax eſt, multo annos durat, radice multipliciter ſe propagans, cu rei gratia, & propter horrentium ſpinarum rigidita Indos ſeu Americos circa agros eam ſerere conſueu intelligo, ad eos (veluti apud nos ſpinis fieri ſolet) co muniendos, & fures ab eis arcendos.*

Fil y agulla VALENTINI Fil y agulla *vocabant, id eſt fil & acus, quòd foliorum extremæ ſpinæ, acus, & fil interiores fili vicem præſtent. Indi* Maguey *&* Me *nonnulli iſtic Hiſpani* Cardon*, ab aculeorum vt ex ſtimo horrore.*

MAGN

MAGNO autem erat in vſu apud Indos, vt refert
omara ad finem hiſtoriæ Mexicanæ, cuius verba,
uòd integram huius plantæ hiſtoriam contineant, ad-
ibere hic libuit, & Latina facere.

METL arbor eſt nonnullis Maguey, aliis Cardon Metl. Maguey.
ctus, duplici hominis ſtatura, aut altiùs creſcẽs, craſ-
ie humanæ coxæ, parte inferiore craſſior & denſior,
inde ſenſim in pyramidem deſinẽs vti Cupreſſus: qua-
agena illi folia, tegularum amplitudine propemodũ,
eodem modo canulata, ſede inferiore craſſa, & in
ucronem deſinentia, lateribus tenuiora, & craſſa ſpi-
mucronem occupante.

Tanta iſtic (circa Mexico videlicet) copia naſci-
r, quemadmodum apud nos vites: facit ſpicam, flo-
m, & ſemen. Ex ea ignem ſtruunt, & eius cineres
rando lixiuio idonei: truncus ligni loco eſt, folia verò
ularum aut imbricum.

Eam cædere ſolẽt ante quàm nimium adoleſcat; tum
m radix craſſior fit, qua excauata quidam liquor
ligitur, qui ſerapij modo ilicò denſatur: is aliquan-
um coctus, mel fit; depuratus, ſaccharum: dilutus,
tum: &, addito Ocpatli (radix ea eſt, quam ob eius Ocpatli.
ſtantiam, Vini medicinam nominant) vinum, illis
dem in vſu, ſed parum ſalubre: etenim valdè caput
it & inebriat: nullum autem cadauer, aut impura
tina adeò fœtet, atq; illorum anhelitus qui eo vino
briati fuerint. Ex huius germinibus & tenellis foliis
onſerua. Foliorum prunis aſſatorum ſuccus, recen-
us vulneribus aut vlceribus inſtillatus, breui ea cu-
. Germinum & radicum ſuccus cum abſinthij illius
ionis ſucco mixtus, viperarum morſibus vtiliter
ſtillatur.

Illius foliis paratur charta in vſum vulgarem ſacri-
ficiorum

ficiorum & pictorum: & ex iis (lini aut cãnabis mo paratis videlicet) fiunt alpergates (calcei genus Hiſp nis admodum familiare ex funiculis contextum) ſt riæ, chlamydes, cingula, capiſtra, & funes: deniq; ſu illis cannabinum filum.

Horum foliorum cuſpides ſeu ſpinæ adeò firmæ ſun & acutæ, vt illis acus aut ſubulæ vicem præſtent, e cum fibris extrahendo. Iſtis ſpinis Sacerdotes illius r gionis in ſacrificiis ſe pungere ſolent, etenim cuſpis n infringitur, & ſatis altè penetrat exiguo foramine f cto. Hactenus Gomara.

ADDVNT *quidam Americanos veneream luer hac planta curare ſolitos, hoc modo:*

EIVS *fragmentum, in minutas partes ſectum, inde ollæ canthari aquæ capaci impoſitum, trium hor rum ſpatio decoquebant olla priùs luto obſtructa: olla deinde apud ægrum poſitam aperiebant, magna fu copia indè exhalans, multum ſudorem excitabat. A folium huius plantæ prunis impoſitum aſſabant, cu fumum æger excipiebat: ſed adeò vehementes ſudo huius remedij vſu excitabantur, adeoq; vires colla bantur, vt vix æger ferre poſſet, tametſi triduo dun xat vteretur.*

HVIVS *foliorum fibris reticulum contextum à n Hoſpitis ſorore vidiſſe memini, dum Valentiæ eſſen Intellexi etiam induſia ex iis parata Hiſpali vena inueniri.*

De Scolimo Theophraſti.

CAP. LXXVIII.

Scolimus Theophraſti

ALIQVOT *profert cubitales caules, admodum r moſos, ad quorum alas ſingulas folia intenſiùs virid ſinuo*

Scolimus Theophraſti.



ſinuoſa, & albis ſpinis horrida naſcuntur: flos illi l
teus Cnici ferè modo: ſemen in capitulis ſpinoſis latur
foliaceum, ſquammatim cohærens: radix autem long
digitali craſſitudine, carnoſa, dulcis, qua libenter ve
cuntur ſues, quemadmodum & Eryngij vulgaris rac
ce, eaq; de cauſa in agris vtramq; roſtro eruunt. T
planta, dum recens eſt, lacteo ſucco manat.

Salmanticenſi agro, & tota Caſtella frequentiſſi
eſt hæc planta. Tota æſtate floret, & interdum etiam
autumno; & ſubinde ſemen profert.

Similem etiam vidiſſe memini circa Mompeliu
ſed multò lætiorem, paucioribus ramis, & altiùs aſſi
gentem, neq; flore adeò copioſo, & foliis veluti lact
maculis inſignitis.

σκόλυμος. THEOPHRASTI σκόλυμος *(qui à Dioſcori*
differt) eſſe putatur, qui Scolimi radicem lacteum ſ
cum emittere, & eum, veſcendam tum decoctam tu
crudam radicem obtinere ſcribit lib.6.cap.4. de Hiſ
Eryngium Vegetij. *ria plantarum. Anguillaræ, Eryngium Vegetij p*
tatur, quæ, ni fallor, cauſa fuit vt à nonnullis Eryn
luteum appelletur. Salmanticenſes Silybum nuncup
bant: vulgo verò cardon lechal *ſiue* lechar, *id eſt, c*
duum lacteum. Bellonius libro primo obſeruationu
cap. 18. & 25. à Cretenſibus vulgari Græco nom
Aſcolimbros. *Aſcolimbros vocari tradit: & agro Romano* Spi
borda: *& veteribus Latinis Græco nomine Glycyrr*
Glycyrrhizō *zon nominatum putat.*

SALMANTICENSES *tenellam adhuc planta*
& primùm germinantem cum ipſa radice elotam, c
dam, aut cum carnibus coctam edunt: ipſius lacte o
lactis genus coagulant: & eius flore crocum adu
rant, tametſi vicinis locis laudatum crocum cop
naſcatur.

DIOSC

DIOSCORIDIS *Scolimus, abundanter & ſpontè* Scolimus
naſcitur pinguibus Luſitaniæ aruis, præſertim ad Anã Dioſcoridis.
veteribus dictum flumen, vulgò Guadi-ana, *& pleriſ-*
que Bæticæ locis.

De Chamæleone Salmantico.


CAP. LXXIX.

Ex *Acanaceorum genere hæc eſt planta, caule pe-* Chamæleon
ali, interdum etiam cubitali altitudine, multis alis ſi- Salmanticenſis.
e ramis concauo, ſtriato, & quaſi foliato, duro tamen
& firmo: folia numeroſa, longa, anguſta, candicantia,
inis horrida: ſummis ramis veluti vmbellæ ex quinq;
ut ſex calyculis ſeu capitellis ſpinoſis conſtantes innaſ-
untur, in quibus flos purpureus dilutior, qui (maturo
mine) ſubinde in pappos euaneſcit, reliquorum Aca-
aceorum more: ſemen Cnici, minus, dulce, intus can-
idum, foris ſubnigrum aut cinereum: radix nigra, du-
a, dulcis ſi mandatur. Tota planta firmarum ſpinarũ
allo munita eſt.

Agro Salmanticenſi frequens: Floret Iulio, & ſemẽ
Auguſto maturum eſt. Apud nos ſatum in hortis pro-
enit: ſed maiore altitudine aſſurgens, neq; ita candi-
ns, ſemenq́; rarò perficiens.

VOCATVR *Salmanticẽſibus Chamæleon, & eum*
ferre videtur quem Anguillara pro Chamæleone ni-
o Dioſcoridis exhibet: verùm hiſtoria non reſpondet.

Chamæleon Salmanticenſis.



De Carlina ſilueſtri minore.

CAP. LXXX.

PALMI *altitudinem hæc non ſuperat, cauliculo tenui, vnico, cana lanugine obſito: folia Carlinæ ſilueſtris æmula, minora, incana, ſpinis horrida: ſummo cauliculo (nonnunquam etiam in alis) duo plerunque profert capitula ſpinoſa, & in his luteum florem, orbem oculi imitantem, media lanugine pallida, quam ambiunt rigidiuſcula & exſucca foliola lutea: radix ruſeſcens, tenuis, ſingulis annis periens.* Carlina ſilueſtris minor.

Nuſquam hanc alibi obſeruaui, quàm aridis quibuſdam, petroſiſq́ue & deſertis circa Salmanticenſem vrbem locis, florentem Auguſto menſe.

AD *Acarnæ, ἀκάρνης Theophraſti (quam vulgò Carlinam ſilueſtrem vocant) genus referri poſſe videtur: ſiue ad Eryngium quod Aëtius de Archigenis ſententia deſcribit, foliis Attractilidis, durioribus, & ex candido pallidioribus, multis ramis ab vna radice cubitalibus: floribus Buphthalmo ſimilibus, ſed oculi formam ſtamina in medio naſcentia perturbant.* ἀκάρνη.

Carlina ſiluestris minor.



De Cnico altero.

CAP. LXXXI.

VNICVS *huic caulis, aut interdum bini, terni, aut quaterni aſſurgunt cubitales, firmi & lignoſi vti alterius: nullis tamen aut pauciſſimis ramis diuiſi: folia Cnici vulgaris, candidiora, & paulò longiora: capitula Cnici, flos diuerſus, quippe qui non ſit luteus, ſed ex multis ſtaminibus cærulei coloris conſtans: ſemen Cnico minus & ſubrufum: radix pollicari craſſitudine, carnoſa, ſucculenta, foris nigricans, neq; annua, vt alterius, ſed aliquot annis permanens.* Cnicus alter

Circa Cordubam in ſegetibus inuenitur, & agro Hiſpalenſi. Floret Maio & Iunio.

VVLGARE *nomen quod ſciam non habet: ſed cùm ſua facie Cnicum vulgare referat, Cnicum alterum nuncupaui.*

Cnicus alter.



De Eryngio pumilo.

CAP. LXXXII.

ERYNGII *genus paſſim ferè agro Salmanticenſi*
colliculis naſcitur, palmi, nonnunquam pedis altitu-
ne, caule gracili, multis alis brachiato: folia ſecundū
dicem maiuſcula, latiuſcula & molliora, circa radi-
m in rotæ formam humi ſparguntur: ſed quæ in ipſo
ule ſunt ſub alis, multifida ſunt, tenuia & aculeata:
ramulorum ſummitatibus globoſa capitula plerunq;
to, ſpinoſorum foliolorum ambitu ſtellatim circum-
llantur, & ipſa etiam ſpinoſa ſunt: flos & tota capi-
la cum ſuis foliolis ea ambientibus cærulei ſunt colo-
: folia ſtatim exſiccantur & decidunt, vt rarò plan-
m cum foliis reperire liceat, præſertim vbi defloruit:
dix lignoſa & tenuis, quæ ſingulis annis perit.

Poſt meſſes plerunq; inuenitur quo commemoraui
o: apud nos ſata ſeriùs floret hæc planta, neque ita cæ-
lea eſt.

Eryngium pumilum.



De Corruda. CAP. LXXXIII.

VNVM *ſilueſtris Aſparagi genus à veteribus deſcriptum inuenio; ego tria per Hiſpanias obſeruaui.*

PRIOR *herba eſt fruticoſa, duabus, tribúsve, aut pluribus virgis candidis, lignoſis, firmis, & ramoſis, circa quos quina aut ſena foliola ſimul ſemper enaſcuntur, breuia, rigidiuſcula, & pungentia: floſculi lutei è ſenis foliis conſtantes, ſub alis inter folia enaſcuntur, odore iucundo vti Violæ Martiæ: baccæ primùm virides, deinde cinerei coloris, ſemen continentes nigrum, durum: radices ab vno capite multæ, craſſæ inſtar Aſparagi altilis, ſed breuiores.* I. Corruda prior.

Copioſè naſcitur agro Salmanticenſi locis petroſis, totáq; ferè Caſtella & Granatenſi regno, non modò in ſepibus, ſed plerunq; etiam in cultis: vidi etiam plerunque agro Narbonenſi iuxta ſepes. Floret vua matureſcente, hoc eſt Auguſto: ſemen Octobri matureſcit.

Alitur hîc apud nos à quibuſdam rei herbariæ ſtudioſis, ſed fructum non profert.


ALTER *etiam fruticoſus eſt, in viridibus & mollioribus ramis, ſiue virgis ramoſis ſpinas acutas tres aut quatuor hinc inde pro foliis ferens, virides itidem vti rami ſunt: florem nullum conſpexi, ſed frequentes baccas rotundas vti in ſuperiore primùm virides, deinde per maturitatem nigricantes, ſucco & pulpa virente plenas, qua ſemen includitur durum, foris nigrum, intus candidum, plerunq; vnicum, interdum bina: radix craſſa, longa, ſuperiori ſimilis.* II. Corruda altera.

Frequens eſt ad Tagum in Luſitania, & etiam in Bætica, ſolo petroſo, in collibus & ſepibus. Nouembri ſemine onuſtum inueni. Creuit & iſte quibuſdam noſtratibus ex ſemine indè à me delato.

Corruda prior.



Corruda altera.



III. Corruda tertia.

Tertivs cubitales habet virgas, ramoſas, candidas, lignoſas, & priori ſimiles, firmis, candicantibus, & deorſum ſpectantibus ſpinis alternatim, & ſecũdum virgarum ramorumq́ inæqualium inflexionem horridas: ad quas quina aut ſena folia ſimul & ex eodem capite prodeunt, prioris ſpeciei foliis longiora molliorá q́, quæ commanducata ſubdulcia & aliquantulum gummoſa deprehenduntur: flos inter folia ex alarum ſinu longo tenuiq́ pediculo dependet ex viridi palleſcens: deinde fructus propemodum rotundus, qui tricoccus videtur (tametſi vnicum granum in ſe contineat, rarò bina, foris nigrum, intus candidum, firmum, vti in ſuperioribus) initiò virens, per maturitatem rubeſcens, & carnoſus, ſiue ſuccum & pulpam continens lentam & viſcidam: radice firmatur multiplici, veluti alij ſilueſtres Aſparagi, longa, craſſa, intus alba, foris flaueſcente. Fert aliquot thyrſos, qui aliorum Aſparagorum modo manduntur crudi & cocti cum oleo, aceto, & ſale.

Nuſquam abundantiùs, quàm ſupra Olyſipponem ſalebroſis locis iuxta vias, non procul à Tago obſeruaui: naſcitur tamen & aliis Luſitaniæ locis, & tota ferè Bætica. Octobri cum fructu maturo inueni, & raros etiam hinc inde ſparſos flores.

Nulla verò cultura aut diligentia facere vnquam potuimus, vt iſtius ſemen apud nos naſci vellet. Sed duo ſuperiores, vti dixi in generoſi & verè nobilis viri Dn. Ioannis vander Dilft cultiſſimo viridario conſpiciuntur cum multis aliis rariſſimis ſtirpibus, quarum, vti etiam omnium naturæ miraculorum, eſt ſtudioſiſſimus.

ἀσπάραγος πετραῖος, μυάκανθα.

Dicitvr hic Aſparagus Græcis ἀσπάραγος πετραῖος, & μυάκανθα, id eſt Aſparagus petræus ſiue ſilueſtris,

Corruda tertia.



ſilueſtris, & Murina ſpina. Plinius etiam à Latinis
Corruda. *Corrudam, & ab aliquibus Libycum, ab Atticis Or-*
minium vocari tradit. Corrudam quidem nonnulli di-
ctam volunt teſte Ruellio, quòd vbi adoleuit, facilè cor-
ruat decidátve: ſic Horminium ἀπὸ τȣ̃ ὁρμω̃, quod eſ
ruo, Libycum autem à patria. Hiſpani Eſparrago
indifferenter, tametſi altilem Eſparrag s triguer os
quòd inter frumenta plerunq; inueniatur, appellent.

SECVNDAM *ſpeciem intelligere videtur Theo-*
phraſtus (quem ſecutus eſt Plinius) cùm ait lib. 6. hiſt.
plant. cap. 1. Aculeatorum alia ex toto aculei ſunt
ceu ἀσπάραγος, Corrudam intelligit, & Scorpius ſiu
Nepa: hæc enim nullum iuxta aculeum folium gerunt.

TERTIAM *videtur in Creta obſeruaſſe Bellonius,*
nam lib. 1. obſeruationum cap. 18. Vix tota Creta, in-
quit, inuenias Aſparagum altilem: nam ſilueſtrem
duntaxat habent, Corrudã vocatam, paſſimq; naſcen-
tem. Præter eam tamen aliud genus iſtic inuenitur
Polytricha. *nomine vulgari & antiquo Polytricha dictum.*

QVAM *Matthiolus exhibet, Corruda non eſt,*
Aſparagus marinus. *ſed Aſparagi altilis genus, quod nos (quia maritimis*
decliuioribus & herbidis locis ſpontè prouenit) marin
vocamus, caule breuiore, firmiore, foliis craſſioribus, fi
mioribus, ex cæruleo virentibus: baccis maioribus quàm
vulgaris hortenſis, & non adeò coralli modo intensè ru-
bris. Fortè is erit quem Galenus lib. 1. de Aliment. fa-
cultatibus ἕλειον, id eſt paluſtrem nominat.

Similem mihi hìc obſeruaſſe videor in pratis ad Da-
nubium ſitis copiosè naſcentem.

PORRO *Corrudæ cauliculi in cibo cocti ventrem*
emolliunt, & vrinam cient: radicis decoctum contra
vrinæ difficultates, regium morbum, renum vitia, &
coxẽdicum cruciatus in potu proficit: cùm vino autem
phalan-

phalangiorum morſibus auxiliatur. Breuiter, huius efficacior vis quàm domeſtici.

De Rubia marina.

CAP. LXXXIIII.

QVADRANGVLI *huic ſunt caules, palmares, interdum pedales, geniculati, duri & lignoſi, ad quorum ſingula genicula quaterna folia, inferiore ſede latiuſcula, & extrema parte mucronata, rigidiuſcula, candicantia, ſtellæ modo in orbem adnaſcuntur, & ſubinde in alis ramuli numeroſis foliis breuioribus & compactis ſeu confertis ornati, in quibus floſculi oblongi, radiati, pallidi: radix craſſa, dura, foris intenſiùs rubra, intus rufeſcens.* Rubia marina.

In littoribus Mediterranei maris, qua Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem alluit frequens, præſertim verò circa Calpen & Valentiam, vbi eam collegi, & ſæpè etiam littore illo quod ſupra ſtagnum ad Peraus eſt, & in montem vſq; Setium extenditur. Floret iſtic æſtatis initio.

Habui eam aliquãdo apud nos ſemine mihi prognatam, qualem hîc exprimi iuſſi, ramis aliquot humi ſparſis, pedalibus, medio caule aſſurgente cubitali, infirmiore tamen quàm vt ſe ſuſtentare poſſet. Longè verò tenerior erat & minus incana, quàm locis vbi ſpontè prouenit, & ſecundo anno mihi periit, poſtquam ſeriùs floruiſſet.

RVBIAM *marinam iſtic vocabant, quoniam ad Rubiæ formam aliquo modo accedit. Vulgare nomen, quod ſciam, non habet: & eius facultates adhuc ignotas eſſe puto.*

De Tribulo

Rubia marina.



De Tribulo terreſtri.

CAP. LXXXV.

HERBA *eſt multis viticulis per terram ſtratis, pralongis, cubitalibus plerunq;, frequentibus geniculis, quibus adnaſcuntur aliæ virgulæ, & folia numeroſa ni coſtæ congeſta Ciceris modo, quibus perquàm ſimiia ſunt, ſubacri guſtu cum adſtrictione quadam: flo es ex ſingulis alis Potentillæ vulgò dictæ, minores, lu ei: fructus quinquefariam diuiſus (quatuor ſpinis ſin ulæ diuiſuræ, quæ dorſo eminenti ſunt, conſtant) ſub liis latẽs, in quo totidem ſemina: radix interdum mi imi digiti craſſitudinem æquat.* Tribulus terreſtris.

Ad agrorum ſemitas, in quibus Melopepones Sal nanticæ ſeruntur, frequentiſſimè prouenit: hortulanis dmodum infeſta & exoſa, quoniam firmis fructus eius qui per maturitatem facilè de planta decidit) aculeis rum nudi pedes offenduntur. Floret iſtic Iulio, ſemen erò Auguſto & Septembri maturum eſt.

Memini etiam olim obſeruaſſe agro Mompeliano ter olineta ſub vrbis ferè mœnibus.

ESSE *autem hanc plantam Dioſcoridis* τρίβολον χερσαῖον, *hoc eſt Tribulum terreſtrem, affirmare non ſim: ſed optimè quadrat alteri ex terreſtribus Theo raſto deſcripto lib. 6. cap. 5.* πρωΐῳ *videlicet, tamet hic non ſit admodum præcox, locis ſaltem quibus ſpon naſcentem obſeruaui. Hiſpani* abrojos *vocant.* τρίβολος χερσαῖος.

SALMANTICENSES *eius decoctum ad pituitã, aſſoſq; humores incidendos & euacuandos felici ſuc ſu clyſteribus inijciunt: cùm tamen Galenus terream frigidam qualitatẽ Tribulo terreſtri tribuat, Dioſ ridem nimirum ſecutus.*

De Aſtragalo. CAP. LXXXVI.

QVONAM *hanc plantam referrem, diu mul- tumq́; apud me deliberaui: ſed nullam veteribus deſcri- ptam inueni, cuius hiſtoria illi per omnia quadraret. Cùm verò ſit elegans, & nemini ex recentioribus, v- exiſtimo, cognita, operæprecium me facturum putaui ſi illius iconem cum deſcriptione hîc ſubijcerem.*

I. Aſtragalus forte. CVBITALES *& ampliores ſunt illi caules, mini- mi ferè digiti craſſitie, pentagoni ſiue anguloſi, duri, ſub- rubentes, & lanuginoſi: folia lanuginoſa & incana, i- longa coſta ex aduerſo ſemper inter ſe oppoſita, vti i- Vicia & Cicere, guſtu primùm adſtringente, deind- feruido: flores copioſi Lupini aut Fabæ vulgaris, ſecun- dum oblongos pediculos ex alarum ſinu prodeuntes or- dine digeſti, albi omnino, ſed ante quàm aperiantur e- luteo foris nigricantes: fructum ferre dicitur (nam flo- rentem duntaxat vidi) in ſiliquis Faſelo minori Dodo- næi ſimilem, qui guſtatus, fauces, os, & linguam in- flammatione torqueat: radix pro ſtirpis magnitudin- ampliſſima, brachiali interdum craſſitie, palmari lon- gitudine, deinde in binos aut tres ramos ſeſe findens, fo- ris nigra, rugoſa, intus candida, dura & lignoſa, ingra- to ſapore, quæ arefacta cornu duritie ſuperat.*

Primùm eam in collibus quibuſdam ſupra Olyſip- ponem, quos fluuius Tagus alluit, inter vepres obſerua- ui, atq; menſe Decembri erui: deinde frequentiorem multò ſub finẽ Ianuarij ſiluoſis locis non procul Hiſpa- li, itinere Gadenſi, florentem inueni.

LVSITANI Alfabeca *vocant: Bætici* Garauan- cillos, *quaſi Cicer exiguum dicas.*

Si facultates, quas ex eius temperamento contraria deprehendere licet, non refragarentur, legitimũ Aſtra- galum eſſe cenſerem, cuius deſcriptioni plurimis not- conueni-

Aſtragalus forte 1.



conuenit. Videtur ea quam Amatus Luſitanus Apocynon facit, & Luſitanis Atramoços de can, *hoc eſt Lupinos caninos vocari ait.*

II. Aſtragalus Alpinus. CÆTERVM *Aſtragali nomine multæ plantæ hodie inſigniuntur; nullæ tamen ad Dioſcoridis deſcriptionem accedunt: præter eam cuius hiſtoriam nunc dedi, & aliam quam in Cantabris & Alpibus Heluetiorum obſeruaui ramulis aliquot ex vna radice prodeuntibus, gracilibus, interdum erectis, plerunque procumbentibus, foliis Ciceris modo ordine diſpoſitis, ſed rarioribus & longioribus, nec in ambitu ſerratis; flore Viciæ aut Ciceris ex cæruleo purpuraſcente, cui ſuccedunt ſiliquæ Arachi ferè ſimiles, in quibus ſemen continetur: radix eſt tuberoſa, nigra, dura, cui propagines adnaſcuntur ſarmenticiis radiculis adhærentes illi ſimiles, ſed minores.*

Naſcitur in montibus quos dixi vento perflatis, & apertis. Differt tamen à Chamæbalano Dodonæi, ſiue aliorum Pſeudoapio.

III. Onobrichis quorundam. HISPANI *aliam proponebãt Aſtragali quidem facultatibus reſpondentem: ſed forma radicis minimè. Nam tametſi folia Ciceris aut Lentis puſilla habeat tota canentia; cauliculos breues, duros, & in his floſculos piſi forma, puſillos, congeſtos, & purpureos, ſummis pediculis inhærentes: radix tamen magna ex parte ſingularis, & nihil commune cum Aſtragalo habens, omnino repugnat.*

Creſcit ea in vinetorum & agrorum marginibus ſecus vias, per Luſitaniam & Hiſpaniam, floret Aprili.

DOCTISSIMVS *Plaça Onobrichin eſſe cenſebat; diſcrepat tamen hiſtoria. Luſitani* Herua de S. Lorenzo *nuncupabant.*

Illius in clibano ſiccatæ puluerem vulneribus & vlceribus

ceribus vtiliter inſpergi aſſeuerabant.

E A M *aliquando in Belgio hortis noſtris aluimus, vnà cum Aſtragalo Mompelienſibus vocato: ſed illa ante triennium periit. Hic verò adhuc perdurat, foliis ſuperiori ferè ſimilis, ſed minus incanis, floribus maiuſculis, ſiliquis inflexis, & duplici ſerie ſemen continentibus ſubfuluum & rotundiuſculum: radice perquàm ſimili.* Aſtragalus Mompeliéſium.

De Glauce. CAP. LXXXVII.

N V L L A M *adhuc inter eas quæ Glaucis nomine à recentioribus deſcribuntur, magis ad amuſſim Dioſcoridis deſcriptioni reſpondentem inueni, quàm quæ à me hîc proponitur.*


T E R N I S *aut quaternis à radice aſſurgit cauliculis dodrantem altis, gracilibus, incanis: foliis ordine quodam vtrinq; digeſtis ſecundum coſtæ longitudinem, Lentis aut Aſtragali Hiſpanici iam deſcripti in modum, mollioribus, supernè virentibus, infernè cana lanugine obſitis, guſtu nonnihil amaro: flos extremis cauliculis confertus, & capituli ſpicǽve obtuſæ & breuioris modo innaſcitur, Glycyrrhizæ vulgaris forma & colore perquàm ſimilis: radice exili, candicante.* Glaux.

Nuſquam alibi, quàm ad ripas Thormis fluminis, quod Salmãticam alluit, paulò infra eam vrbem obſeruaui, nomine vulgari carentem, menſe Iunio: verùm is locus procul à mari diſtat, iuxta quod Dioſcorides naſci tradit.

E A *Græcis* γλαὺξ, *perinde atq; Latinis Glaux appellatur.* γλαὺξ.

Dioſcorides cum hordeacea farina, ſale & oleo coqui ait in ſorbitione, ad reuocandam extincti lactis vbertatem.

Glaux.



De Medica marina.

CAP. LXXXVIII.


CAVLES *hæc habet ſiue ramulos tres aut quatuor pedales, humi procumbentes: folia Trifolij, aut Cytiſi Maranthæ, minora, quæ cum ramulis tomentoſa lanugine obducta ſunt: flores extremis ramis ex alarum ſinubus pediculis inhærentes exiliunt, quini aut ſeni ſimul congeſti, Medicæ ſiue Sertulæ campanæ forma, colore luteo: ſiliquæ deinde glomeratæ & contortæ ſiue inflexæ, in quibus ſemen continetur ſubrufum, Medicæ ſimile: radix ex candido palleſcens, craſſiuſcula, perennis.* Medica marina.

Prouenit hæc paſſim in Hiſpania & Gallia Narbonenſi ad Mediterranei maris littora: inueni etiam in Oceani littoribus, ad Tagi fluminis oſtium, ad D. Ioannis propugnaculum & Carcais, ſub Olyſippone. Floret æſtate & autumno, & ſubinde ſemen profert. Apud nos ſata à quibuſdam rei herbariæ ſtudioſis alitur, longioribus tamen ramis, neq; adeò denſa canáve lanugine obſitis: ſeriùs etiam floret, & rarò ſemen profert.

MARINAM *Medicam hanc ideò nuncupaui, quòd Medicæ cùm ſit ſimillima, in maritimis meridiei præſertim obuerſis naſcatur.*

Parum aliquando abfuit, cùm ante viginti annos in Galliæ Narbonenſis maritimis eam colligerem, quin Helenium Ægyptium Crateuæ, Dioſcoridi cap. de Helenio deſcriptum, eſſe mihi perſuaderem: multas enim habet hæc planta notas quæ ad Helenium illud accommodari poſſent, vti ſunt cauliculi interdum cubitales, per ſolum diffuſi & repentes, folia Lenticulæ numeroſa & crebra, radix minimi digiti craſſitudine pallidiuſcula, per ima tenuis, ſupernè craſſior: præterea Helenium Ægyptium.

Medica marina.



quòd in maritimis naſcatur. Nam quòd Dioſcorides corticem nigrum radici attribuit, in Crateuæ exemplari non inueniri Anguillara ſcribit. Nihil tamen in re dubia affirmare volo.

VERVM *Ægyptij Helenij radicem in vino potã, contra ſerpentiũ ictus auxiliari teſtis eſt Dioſcorides.*

De Trifolio pratenſi Salmantico.

CAP. LXXXIX.

NON *multum à noſtro vulgari diſſimile eſt hoc Trifolium, quod paſſim in pratis circa Salmanticam urbem naſcitur: cauliculis eſt pedalibus quinis aut ſenis, humi ſparſis, folia trina ſimul coniuncta vti in noſtro, minora tamen & per ambitum ſerrata: petioli ex alarum ſinubus prodeunt ſuſtinentes capitella floſculorum elegantiſſima purpura rubentium, quibus ſuccedũt membranei folliculi, & in his ſemen exiguum ſubrufum: radix vti vulgaris Trifolij.* Trifolium Salmanticenſe.

Tota æſtate floret. Hiſpani Trebol de prados, *& ſimpliciter etiam* Trebol, *quemadmodum alia omnia Trifolij genera vocant.*

Trifolium pratenſe Salmanticum.



De Oxy flore luteo.

CAP. XC.

HVMILIS *hæc eſt plantula, ramulis dodrantalibus, interdum longioribus, gracilibus, rotundis, rubentibus, per terrã repentibus, & ſubinde radices agentibus ad ſingula internodia, nouosq; ſurculos & ramulos proferentibus: folia illi Oxydis vulgaris, trina in ſingulis petiolis, ſed minora & pallidiùs virentia, ſapore acido, quæ ſub veſperam, aut ingruente imbre, complicantur, & veluti vmbonem quendam faciunt: flores in oblongis pediculis terni aut quaterni ſimul enaſcuntur, quinq; foliolis ſtellatim decuſſatis conſpicui, vulgari minores, & lutei: oblongiora deinde mucronataq; capitula, ſemine exiguo, rufo, plena, quod per maturitatem dehiſcẽtibus capitulis exilit: radix tenuis & capillata.* Oxys flore luteo.


Vmbroſis quibuſdam circa Hiſpalim locis naſcitur: olim etiam vidiſſe memini Mompelij in horto D. Guichardi profeſſoris Medici.

Apud nos ſemel ſatum poſtquàm florere cœpit, tota deinde æſtate floret, & ſemen profert: plantæ tamen omnes hyemis inclementia pereunt: ſed ex ſemine quod maturum exiliit, ſingulis annis copioſè renaſcitur.

OXYS *Plinio vt putant dictæ genus eſt hoc, quam terna habere folia: & ad diſſolutum ſtomachum dari, atq; aduerſus enterocœlen edi lib. 24. cap. 12. ſcripſit.*

De Paro-

Oxys flore luteo.



De Paronychia Hiſpanica.

CAP. XCI.

LONGE *elegantiſſima eſt hæc planta, multis viti- culis per terram ſtratis, dodrantalibus magna ex parte, ſed interdum etiam pedalibus aut longioribus, genicu- latis, foliis Polygoni maris, minoribus, & in nouella planta virentibus, deinde ſucceſſu temporis confertiſſi- ma & numeroſa admodum adnaſcuntur foliola aceroſa & membranea, omnino alba, ſic vt tota argenteis ſquã- mis conſtare videatur gratiſſimo ſpectaculo: flos candi- dus Polygoni, ſed adeò paruus, & inter membranulas iſtas latens, vt vix conſpiciatur: ſemen Polygoni: radix candicans, oblonga & tenuis.* Paronychia Hiſpanica.


Huius icon ex nouella planta, & ſemine primùm mihi nata expreſſa eſt, quæ paleaceas illas membranu- las nondum adquiſierat, idq; apud nos, vbi multum de candore ſuó remittit.

Nuſquam abundantiùs quàm in collibus petroſis & ſiccis Salmanticæ vicinis, trans flumen Thormim, vbi & Colchicum montanum mihi ſuprà deſcriptum co- pioſiſſimè prouenit: item circa Valentiam & Murciã. Obſeruaſſe etiam memini lapidoſo illo campo ſupra Arelatem, non procul à Diui Martini diuerſorio, qua Maſſiliam iter eſt, ſed multò minorem, & vnciam vix excedentem. Floret Maio & Iunio, & ſemen profert.

SALMANTICENSES *& Valentini* παρωνυχίαν, *Paronychiam vocabant: meo tamen iudicio nihil aliud eſt, quàm Polygoni maris genus peculiare: etenim cùm primùm è ſemine prodit, à Sanguinaria vulgari nihil differt; & commanducata, eodem guſtu deprehẽditur: atq; viribus multum abſimilis Paronychiæ, quæ teſte* παρωνυχία. Polygonum peregrinum

Galeno

Paronychia Hiſpanica.



Galeno lib. 8. ſimplicium, tenuium partium eſt, & exſiccatoria, morſu vacans: talia enim ſint oportet quæ paronychias ſanant. Murciani vulgò Aſprilla *vocát, à foliorum exſuccorum, ni fallor, aſperitate.*

De Anthylli Valentina.

CAP. XCII.

PROFERT *ex vna radice multos cauliculos dodrantales, ramoſos, humi ſtratos, ſubrubentes: foliola Lentis exigua, ſeu potius Chamæſyces, ſalſo guſtu, & plerunq; cum ſuis ramis veluti quadam ſalſugine reſperſa: flores inter ipſa folia puſilli, quatuor foliolis conſtantes, ex albo purpuraſcentes: radix ſingularis, nigricans. Tota Chamæſyci adeò ſimilis eſt, vt primo aſpectu Chamæſycen putarem: lacte tamen caret.* Anthyllis Valentina.

Hanc plantam non alibi conſpexi quàm ad foſſas vrbis Valentiæ in Hiſpaniis, iuxta eam portam quæ arcem Regiam ſpectat: idq; demonſtrante mihi D. Plaça. Floret Aprilis initio.

ἀνθυλλίδα, *Anthyllidem idem Plaça vocabat, eamq; ad primum genus Dioſcoridi deſcriptum referebat. Etſi autem inter Anthyllides proculdubiò recēſenda ſit: prima tamen eſſe non poteſt, quæ rectis ramulis aſſurgit, cùm hæc repentes vti diximus habeat ramulos, totaq; facie Chamæſycen propemodum referat.* ἀνθυλλίς.

De Anthylli

Anthyllis Valentina.



De Anthylli altera.

CAP. XCIII.

HVMI *expanſos habet ramulos, digitales, teneros, hirſutos, folia oblonga, viridia, hirſuta, per extremum in ambitu ſerrata, & quodammodo Chamæpityos æmula, bina ſemper ex aduerſo ordine diſpoſita, guſtu nonnihil feruido, & odore ſatis graui: florem in ſingulis alis Chamæpity ſimilem, ſed purpureum: ſemina in ſingulis calyculis quaterna ſimul iuncta, cinerei coloris, oblonguiuſcula: radicem craſſam, ſubalbidam.* Anthyllis altera.

Naſcitur læto ſolo in Luſitania ad Tagum, Granatenſi regno, & Gallia Narbonenſi. Floret æſtate & autumno.

GRÆCIS *hæc* ἀνθυλλὶς ἑτέρα, *Latinis Anthyllis altera. Luſitanis* Herua crina *dicitur. Mompeliani eo tempore Yuam moſchatam appellabant.* ἀνθυλλὶς ἑτέρα. Yua moſchata.

BIBITVR *hæc in duritia vuluarum, & in torminibus, et in comitiali morbo cum melle & aceto quatuor drachmis teste Plinio.*

Luſitani & Granatenſes referebant eius decoctum ad impurum ſanguinem repurgandum propinari.

INVENITVR *etiam in Hiſpaniis puſilla quædam planta Aiugæ admodum ſimilis tum cauliculis tum foliorum trifidorum forma, hirſuta tota, ſubſalſo guſtu, & inodora, niſi quiddam herbaceum & ingratum redoleret: flores extremis ramis ex alis prodeunt Aiugæ ſimiles, ſed maiores & albi: ſemina quaterna in ſingulis calyculis, cinerei coloris, maiuſcula & rotunda fere: radix craſſiuſcula, ſubalbida, & perennis vti ſuperior.* Aiuga adulterina.

Prouenit locis incultis, & æſtate floret.

HISPANI *inter Aiugas referebant: ſed cùm eius temperamentum non reſpondeat, Pſeudo-Chamæ-*

Anthyllis altera.



Aiuga adulterina.



tys potiùs quædam cenſenda erit, donec legitimum men inueniat.

De Cori quorundam.

CAP. XCIIII.

M VLTIS *ramulis fruticat dodrantalibus, plerun*
que etiam minoribus, firmis, rotundis, purpuraſcent
bus, qui denſis foliis ſtipantur Ericæ (maioris ſcilice
craſſiuſculis, ſucculentis, amariuſculis, ordine quoda
interdum diſpoſitis, nonnunquam verò inordinatis e
inconditis: ſpicæ aut capitula extremis ramulis inh
rent plena calyculorum quinquepartito ſeſe aperiẽtiu
& totidem maculis nigris ſingulis diuiſionibus impre
ſis; è quibus calyculis flos emicat non inodorus, purp
reus, aut ex purpura cæruleus, elegantiſſimi & qu
immarceſcibilis coloris, quatuor foliolis bifidis conſtan
quorum duo ſuperiora maiuſcula ſunt: ſemen deinde
calyculis nonnihil aculeatis continetur, rotundum, n
gricans: radix craſſa pro plantæ magnitudine, palma
longitudine, & foris rubra, qua etiam interdum pan
linei infici poſſunt.

Floret iſta menſe Maio, nonnunquam etiam Ma
tio ſiccis quibuſdam circa Salmanticam & Momp
lium locis, & maritimis Valentiæ & Galliæ Narb
nenſis, vbi tota maior & craſſior naſcitur, vt ſolent f
omnes marinæ ſtirpes, ſi cum eis quæ macro & arido
lo proueniunt, comparentur.

H ANC *Mompeliani meo tempore Corin vocab*
κόρις. *quamq; Græci* κόριν ἢ ὑπερικὸν *appellant eſſe exiſtim*
bant, cuius ſanè deſcriptioni multis notis reſpondere
detur: Dioſcorides enim Cori folia Ericæ tribuit, Plin
Tamaricis, pinguia ſiue craſſa, deinde ſuauem eſſe
cit & odoratam (quod de flore intelligendum puto) P
nius aculeatam addit, quales ſunt huius calyculi
ſemen continent.

Docti

Coris quorundam.



Doctiſſimus Plaça, dum vnà varias ſtirpes in maritimis Valentiæ legeremus ἄλυπον, *Alypum eſſe cenſebat: Hiſpani* Pinçel *vulgò appellant.*

ἄλυπον.

Ad *hanc multum accedere videtur, quam clariſſimus Matthiolus Symphyti petræi nomine exhibuit.*

Cæterum *Coridis ſemen potum menſes & vrinas trahit: contra Phalangiorum morſus, iſchiadicos & opiſthotonicos ex vino potum auxilio eſt: horroribus ex pipere, opiſthotonicis ex oleo vtiliſſime illinitur.*

De Holoſteo Salmanticenſi.

CAP. XCV.

I. Holoſteum Salmanticũ prius.

Herbvla *eſt foliis ferè Plantaginis anguſtifoliæ verùm minoribus, anguſtioribus, crebris, per terram ſtratis, & incana lanugine obſitis, ſubadſtringente guſtu: inter quæ quini aut ſeni cauliculi nudi exiliunt palmum alti, qui à medio ferè ad ſummum vſq; multis & ſeſe mutuò contingentibus floſculis ex herbaceo candicantibus ornati ſunt, vti in Coronopo, quibus deinde ſemen Plantaginis ſuccedit theculis incluſum: radix eſt longa, tenuis, lignoſa.*

Collibus aridis Salmanticæ vicinis prouenit: nuſquam tamen maiorem aut candidiorem vidi quam iuxta Valentiam Hiſpaniæ ſecus vias. Floret illic Maio, Valentiæ verò Martio & Aprilis initio.

II. Holoſteum alterum.

Crescit *iiſdem locis aliud eius genus multò minus, cuius folia Pſyllij foliorum latitudinem non excedunt, longiora tamen, & hirſuta quidem illa, ſed minus incana, in cæteris per omnia ſuperiori ſimilis, eodemq; tempore florens.*

Eam etiam obſeruaſſe memini olim agro Monpelienſi locis incultis & aridis.

VTRA-

Holoſteum Salmanticum prius.



VTRAQVE *Salmanticenſibus Holoſteum dicebatur: poſterior etiam apud Mompelianos idem nomẽ obtinuerat: mihi Plantaginis anguſtifoliæ genus potiùs vtraq; videtur.*

Holeſtion Dioſcoridis.

PORRO *Holeſtij meminit Dioſc. lib. 4. Holeſtiõ, inquit, herba eſt puſilla, tribus quatuórve digitis extra terram ſupereminens, foliis viticulisq; Coronopo aut Gramini proximis, guſtu adſtringentibus: radice alba, prætenui vſq; in capillamenti ſpeciem, longitudine quatuor digitorum. Naſcitur in collibus terrenis.*

Holoſteon Plinius lib. 27. cap. 10. ſine duritia herbam eſſe dicit, ex aduerſo (ſiue per ἀντίφρασιν*) appellatam à Græcis, ſicut fel dulce: reliqua vti Dioſcorides.*

VSVS *eius ad rupta, in vino potæ: nam & carnes coguntur decoctionibus addita.*

Cynogloſsũ forte.

OBSERVAVI *item iiſdem collibus Salmantinis, & aliis etiam in Caſtella locis aridis Plantaginis genus vulgari minus, foliis incana multaq; lanugine obductis, & humi ſtratis, quod maxima anni parte conſpicitur ſine caule & flore. Interdum tamen Maio fert exiguam ſpicam Plantaginis in modum, minorem, florum palleſcentium: radice tenui, longa & nigra.*

κυνόγλωσσον.

EAM *non ſemel Dioſcoridis* κυνόγλωσσον, *Cynogloſſum arbitratus ſum: etenim ſi ſpicam florum (quam Dioſcorides fortè non obſeruauit) demas, nullam hactenus eius deſcriptioni exactiùs conuenientem, inter tam varias plantas vidiſſe memini.*

FOLIA *autem Cynogloſſi cum ſuillo adipe veteri, canum morſibus, alopeciis, & ambuſtis medentur: aluum emollit decoctum herbæ ex vino potum.*

De Hepta-

De Heptaphyllo.

CAP. XCVI.

RAMVLI *bini aut terni ab eadem radice exeunt* Heptaphyllon.
*eretes, firmi, pedales, aliquot geniculis donati, ex qui-
us prodeunt quemadmodum & ex radice folia, ſex,
ẽptem, aut pluribus diuiſuris inſecta ad pediculum
ſque, tota incana, & veluti argentea: circa extremos
& ſummos ramulos glomerati ſunt numeroſi floſculi,
)leæ ſimiles, parui, ſtellati, & candidi: radix ſatis
raſſa, foris nigricans, dodrantalis. Tota adſtringente
āpore.*

*Prouenit apud Cantabros in Pyrenæis iugis: memini
& in Allobrogum Alpibus ſeriùs florentem vidiſſe, cùm
pud Cantabros Maio floreat.*

QVO *nomine aut veteribus, aut neotericis dicta
t, aut etiam vulgò, mihi incertum eſt. Heptaphylli
omen indidi, quod plerunque ſeptenis foliolis ex eodem
ediculo dependentibus, aut folio ſeptifariam aut in
ptem lacinias diuiſo conſtet.*

Heptaphyllon.



De Phyllitide laciniata.

CAP. XCVII.

NON *prætermittenda fuit hæc Phyllitis propter elegantiam, licet vulgaris à pleriſq; deſcripta ſit, & illius icon exhibita.*

SOLA *foliorum forma à vulgari differt, alioqui per omnia ſimilis: ſunt verò ea palmari longitudine, ſena aut ſeptena, ex radice multis nigris capillamentis fibrata prodeuntia, eiuſdem læuoris & viroris interna parte, at externa nullis aut rariſſimis tranſuerſis lineis inſignita, & extrema parte multipliciter diſſecta.* Phyllitis laciniata.

Hanc in Cantabris, non procul à monte D. Adriani nuncupato, quà per eius ſpecum & fornicem tranſitus eſt in Hiſpaniam, locis vmbroſis in rupibus obſeruaui, raram tamen inter pleraſq; alias vulgares.

Memini & olim plantam vnam ex Gebennis montibus erutam, Mompelij in clariſſimi viri Dn. Gulielmi Rondeletij medici celeberrimi horto huic ſimilem plantaſſe.

Sed & quæ ad nos ex Anglia miſſa fuit à doctiſſimo Lobelio Hemionitidis nomine, poſtquàm eam biennio in fictili propter teneritatem aſſeruaſſemus, tandem in Phyllitidem foliis laciniatis euaſit: verùm non adeò multipliciter diſſectam, vt hæc eſt, cuius nos picturam damus, ſed tribus duntaxat, aut quatuor laciniis: nec ſatis mirari potui tantam metamorphoſin. Etenim plãtulæ quas ad nos mittebat totæ tenellæ & mollicellæ erant, & plurimum ad Hemionitidis figuram accedebant.

Poſteà cùm Briſtolij eſſem, duxit me ad ſpecum illam Diui Vincentij, vnde eruerat, idem Lobelius, & aliquot plantulas meis manibus euulſi, iis quas miſerat

ſimiles,

Phyllitis laciniata.



ſimiles, hoc eſt totas tenellas, & molles; quibus perſimiles aliquot deinde conſpexi, ex Anglia in Galliam rediens, puteo quodam non procul Bononia, atque etiam Machliniæ puteo illius diuerſorij, cui ſymbolum Galea aurea, foro frumentario, vt mihi teſtis eſſe poteſt illuſtris vir Dn. Ioannes de Brancion, cui eas oſtendi.

VERVM *Phyllitidis folia in vino pota, ſerpentium morſibus auxiliantur teſte Dioſcoride, quadrupedibus verò per os infuſa, auxilio ſunt, & in dyſenteria aut reſoluta aluo vtiliter potui datur.*

De Hemioniti peregrina.

CAP. XCVIII.

MERITO *ſuperiori coniungenda venit elegans hæc Hemionitis, quam Romæ ex veteris cuiuſdam theatri ruinis erutam doctiſſimus idemq́ candidiſſimus medicus Ioannes Henricus Gandauenſis, mihi amiciſſimus, piæ memoriæ, ex Italia redux mihi dono dedit, quam etiamnum cum Phyllitide laciniata & pleriſq; aliis plantis, quas in meis peregrinationibus collegi, repoſitas habeo.*

HVIVS *folia quaternos digitos tranſuerſos longitudine non excedunt, ferrei venabuli mucronis formam exprimentia, inferiore baſe duplicem apophyſin habentia, & extrema parte mucronata: parte interna læui virore cõſpicua, exteriore verò lineis obliquis, ex vtraque nerui parte inſignita, vti in Phyllitide vulgari, guſtu acerbo & exſiccante quemadmodum Phyllitis: radices nigræ, fibroſæ, quales in legitima Hemionitide conſpexi (& adhuc videre licet) quam clariſſimus idẽq; doctiſſimus D. Hippolytus Saluianus Romanus medicus iam memorato Dn. de Brancion Romã vſq; miſit,* Phyllitis peregrina.

qui

Hemionitis peregrina.



qui eam in fictili etiam nunc alit.

GRÆCIS *verò* ἡμιονῖτις καὶ σπλήνιον *vocatur, Latinis item Hemionitis & Splenion.* ἡμιονῖτις. σπλήνιον.

EA *ex aceto pota, lienem abſumere creditur.*

De Muſco terreſtri repente.

CAP. XCIX.

TENERRIMA *eſt herbula, dodrantalibus, aut interdum pedalibus repens viticulis filo tenuioribus, numeroſis, vtrinque adnatis ramulis in obliquum expanſis, & ſubinde capillaribus, terræ inhærentibus quibuſdã ſuis fibris. Tota integitur numeroſiſſimis foliolis ſeu ſquammulis potius tenuiſſimis pulcherrima ſerie digeſtis, dilutiore & palleſcente virore, & tactu mollibus quidem, ſed veluti ſiccis, guſtu adſtringente, cum quadam tamen grata dulcedine.* Muſcus terreſtris.

Nuſquam hoc Muſci genus conſpexi, quàm in aggeribus vmbroſis Oliuetorum ad Colibriam vrbem Luſitaniæ, & Academiam totius regni celeberrimam, vulgò Coimbra dictam, trans flumen Mondego, Latinis Munda nuncupatum, non procul à deſerto quodam ſacello in colle ſito, iuxta quod Linum ſilueſtre latifolium collegiſſe me dixi.

De Gramine.

Muſcus terreſtris repens.



De Gramine. CAP. C.

VARIA *Graminis genera nunc ſunt cognita, & ſubinde alia ab aliis proponũtur & deſcribuntur. Nemo tamen hactenus illius Graminis iconem exhibuit, quod in magna Europæ parte vſuale eſt, præſertim per Hiſpanias & Gallias. Quoniam verò ob elegantiam cognitu dignum eſt, illius deſcriptionem & iconem hîc ſubyciemus.*


PEDALIBVS *aſſurgit hoc gramen culmis, rotũ-* I.
dis, purpuraſcentibus, geniculatis, è quibus anguſta Gramen.
promit folia, in acumen faſtigiata, dura: culmi ſiue calami in quaternas aut quinas deſinunt paniculas mixti ex atro purpureoq́; coloris: radicibus longis, nodoſis, geniculatis, candicantibus, ſapore ſubdulci cum quadam adſtrictione, quæ longè lateq́; ſerpentes, ſubinde plurimis locis germinant, nouosq́; culmos & folia proferunt.

Hoc gramine nihil vulgatius per Hiſpanias & Galliam, in agris, vinetis, atq; etiã in maritimis, vbi multò lætius & vegetius eſt, & minimi interdum digiti craſſitie radices erui.

DICITVR *Græcis* ἄγρωστις, *Latinis Gramen. Sunt* ἄγρωστις.
qui Iſchæmonen Plinio lib. 25. cap. 8. nuncupatum eſſe putent; quorum ſententiam probare non poſſum. Etenim multò aptiùs Iſchæmonis hiſtoriæ quadrare vide- Iſchæmon.
tur Mily genus illud ſilueſtre & ſupinum, in humilis naſcens, foliis aſperis & lanuginoſis, quod celeberrimus Matthiolus Panicum ſilueſtre appellare videtur. Serpit, inquit, Plinius, è terra Milio ſimilis, foliis aſperis & lanuginoſis, farcitur in nares.

Quòd ſi ad Pliniani Graminis vllum aliud genus referenda eſt hæc planta, aculeatum illud potiùs erit, cui, quòd in cacumine aculei ſunt plurimùm quini, Da- Dactylus.
ctyli nomen inditum eſſe ait libro 24. cap. vltimo, &

Gramen.



illius aculeos conuolutos naribus inſeri extrahiq; ſanguinis ciendi gratia.

RADIX Graminis, inquit Dioſcorides, trita & illita, vulnera conglutinat. Decoctum eius in potu, torminibus medetur, & vrinæ difficultatibus: calculoſa etiam excrementa comminuit.

II. Gramen Amourettes.

PERELEGANS etiam Graminis genus inuenitur nonnullis Hiſpaniæ locis aridis & ſabuloſis, quod ſuperiori ferè foliis & culmis ſimile eſt: ſed paniculas breuiores, craſſiores, & numeroſiores habet eiuſdem quodammodo cum ſuperiore coloris: & radicem non nodoſam & ſerpentem vti illud: verùm fibroſam & capillarem potiùs. Memini & id obſeruaſſe & collegiſſe Lutetiano agro, non procul à traiectu Sequanæ, qui ferè eſt ad monaſterium vulgò dictum Bons hommes, iuxta ſemitas frequentiſſimũ, vbi vulgò à ruſticis non Chiendent, vti ſuperius gramen, ſed Amourettes appellatur, ob panicularum, vt opinor, elegantiam.

III. Lacryma Iob.

ISTIVS etiam plantæ multis Hiſpaniæ locis, & olim Mompelij obſeruatæ deſcriptionem dare cõſtitueram. Sed cùm D. de Lobel, & alij quidam illam exactiſſimè deſcripſerint, ſuperuacaneum videbatur eius hiſtoriam hîc repetere. Locum tamen dedimus ipſius eiconi, quam delineatam & ſculptam habui cum reliquis ſuperioribus, ante quàm illius doctiſſimæ lucubrationes in lucem prodirent.

VT autem vulgò à herbariis Lacryma Iob vocatur: ita Hiſpani Lagrimas de Moyſen, Narbonenſes Larmes de noſtre Dame appellant.

Gramen amourettes.



Lacryma Iob.



De Iuncaria Salmanticenſi.

CAP. CI.

Iuncaria Salmant.

HVC *referenda videtur ea herba quam Salmanticenſes à iunceorum cauliculorum forma, & gracilitate Iuncariam appellant. Tota enim iuncea eſt, ſed Equiſeti modo aſpera & geniculata, foliis vtrinq; Lini, & frequentibus ramulis ex alarum ſinu prodeuntibus, copioſos & paleaceos candicantesq; flores proferentibus: ſemen deinde exiguum, nigricans: radix tenuis & candida. Tota herba ſubdulcis eſt.*

Prouenit locis arenoſis inter vineta ſecundo à Salmantica lapide. Floret Iulio, ſemen profert Auguſto quo tempore, etiam ſubinde recens germinat.

De Sparto

Iuncaria Salmanticenſis.



De Sparto Plinij.

CAP. CII.

1. Spartum Plinij.

NVMEROSA, *tenuia, iuncea, viridiaq́; habet fo-*
lia ex eadem radice prodeuntia cubitali longitudine,
quæ dum nouella ſunt, latiuſcula conſpiciuntur, & in-
teriore parte caneſcentia, ſucceſſu verò temporis con-
trahuntur, & conuoluuntur, fiuntq́; iuncea, dura, fle-
xibilia tamen, & marginibus ita coniunctis, vt vix
rima appareat, niſi diligentiùs obſerues. Ex his culmi
exiliunt foliis paulò longiores, qui vere & æſtate par-
uam paniculam arundinaceam ferunt, ſimili prope-
modum ratione florentem: deinde oblongum ſemen, vel-
uti nonnulla Graminis genera: radicibus nititur fibro-
ſis & perennibus, & multæ ſimul enaſcuntur plantæ cō-
tiguæ Iunci modo, vt nonnunquam vna planta, ſiue
multarum ſimul congeſtarum plātarum cumulus, duo-
rum pedum ſpatium, aut amplius in ambitu occupet.

Plurimū naſcitur collibus arenoſis inter Vaëna *et* Al-
calal Real, *& aliis Bæticæ locis: ſed omniū copioſiſſime*
ab initio Granatenſis regni, ſiue Bæticæ limitibus, vſq;
ad Murgim vrbem, vulgò Murcia dictam, vt non ſine
cauſa totus ille tractus veteribus appellatus ſit Sparta-
rius campus, quo etiam noua Carthago, vulgò Carta-
gena, vrbs maritima continetur, quæ a nonnullis Spar-
taria etiam cognominata eſt, ob Sparti (vt puto) eo agro
naſcentis abundantiam. Naſcitur & Valentino regno,
ſuperioribus longè vberius, & lætius.

EST *verò Spartum hoc, quod Hiſpanis, apud quos*
naſcitur, etiam nunc Sparto *dicitur, illud ipſum quod*
Plinius lib. 19. cap. 2. deſcribit. Eodē enim in vſu nunc
eſt apud Hiſpanos, quo fuit Plinij tempore. Nam ex
crudo & ſiccato tapetes ſeu aulæa, ſtorias, corbes, ru-

dente

Spartum Plinij.



dẽtes aliosq́; funes conficiunt. Ex eo autem aqua, quemadmodum Linum, macerato, deinde ſiccato & tuſo, calceaminis genus quod ipſi Alpergates *appellant, funes etiam & alia ſubtiliora opera. Præfertur id quod Valentino regno creſcit.*

II. Spartum aliud. ALIVD *Sparti genus naſcitur Murciano regno, humidioribus præſertim locis, ſuperiore tenuius, cuius rarus admodum eſt vſus, ſtoriis aut huiuſmodi operibus conficiendis: ſed plurimus ad lineos ſaccos quos lectis ſubſternant, implendos, quemadmodum nos ſtramine vti ſolemus, quoniam molliore tenuioreq́; ſit iunco quàm primum: paniculam fert breuem, & pericarpio quodam ſiue membraneo folliculo, vti Narciſſi & ſimilium ferè flores, incluſam.*

Naſcitur eodem quo ſuperius modo; & paulò maturiùs floret: etenim Martio cum flore collegi.

INCOLÆ Albardin *vocant, neſcio qua moti ratione, niſi fortè quòd eo clitellas ſuas ex craſſiore cannabino panno confectas, quas iumentis imponunt, quasq́;* alabardas *vocant, iſto Sparto impleant.*

III. Spartum tertium. INVENITVR *apud nos atq; etiam nonnullis Galliæ locis in aggeribus illis ſabuloſis Oceano oppoſitis Sparti quoddam genus* Halm *ab incolis vocatum, quod priori ferè ſimile eſt: ſed multò maius & rigidius, cruribus eorum quibus per eos aggeres ſine ocreis iter eſt, permoleſtum: pungit enim & cutim penetrat. Creſcit eodem modo quo ſuperiora, ſpicam autem fert Secales inſtar ferè: nullius, quod ſciam, vſus, niſi vt latis ſuis ceſpitibus arenam firmiorem reddat, ne tam facilè vndis marinis & fluctibus eluatur.*

Finis libri ſecundi.

Spartum aliud.



Spartum tertium.



APPENDIX

PEREGRINARVM ET ELEGANTIVM NONnullarum plantarum, ex Thracia vſque delatarum,

EIVSDEM

CAROLI CLVSII A.

LECTORI.

COGITABAM elegantium harum plantarum deſcriptionem in aliud tempus differre. Verùm poſtquam intellexi Hiſpanicas noſtras obſeruationes prelo nondum potuiſſe ſubiici: rei herbariæ ſtudioſis gratificaturum exiſtimaui, ſi iſtas ad Hiſpanicarum calcem adiicerem, quibus intereà frui poſſint, dum in eorum gratiam Pannonicarum ſtirpium hiſtoriam contexímus.

De Tulipa.


De Tulipa.

ISTIVS *plantæ peregrinæ, vulgò Tulipa dictæ, duo genera obſeruaui: non quòd forma inter ſe differant, ſed quòd alterius flores præcoces eſſe ſoleant, alterius verò ſerotini. Hoc genus Turcas ſua lingua* Caualá lalé *appellare animaduerto, illud autem* Café lalé: *à locis nimirum, vnde primùm Conſtantinopolim fuerunt illata, nomine indito:* lalé *enim illis florem ſignificat.*

Caualá lalé. **Café lalé.**

Tulipa. VTRVMQVE *verò pedalem profert caulem, interdum etiam cubitalem aut ampliorem, rotundum, virentem, & breui quadam incanaq́ lanugine aſperſum, non concauum, ſed firma medulla plenum: hunc plerunq́ terna amplectuntur folia, nonnunquam quaterna & quina, inferiora lata admodum & liliacea, longiora tamen & craſſiora, carinata, ſupra terram ſeſe pandentia & contorquentia, ſuperiora autem minora & anguſtiora, eaq́ vel propendentia, aut ſurſum erecta: omnia autem colore ex cæruleo virente, aut æruginneo, velutiq́ farina aſperſo, & oris interdum adeò reflexis vt ſinuoſa videantur, interdum minimè. Summo cauli inſidet magnus flos ſurſum ſpectans, ſex foliis vt plurimum conſtans (tametſi & ſeptenis & octonis conſpexerim) calathi aut cyathi modo ſeſe in fundo pandens, ex quo ſena, aut totidem quot foliis conſtat, ſtamina prodeunt, modò lutea, modò pallida, modò nigricantia, pediculis etiam quæ ſtamina ſuſtinent, mirum in modum colorem variantibus. Excuſſo flore, ſuccedit membraneum triangulare caput, ſatis magnum, quandoq́ oblongius, quandoq́ breuius, ventreq́ magis prominulo: quo in tres partes à ſummo dehiſcente, conſpiciuntur ſex ordines ſeminis plani, cartilaginei, liliacei ferè, & circinatæ propemodum rotunditatis, pallidi, fului, aut rubeſcentis. Radix bulbacea interdũ breuior eſt,*

Tulipa.



eſt, interdum oblongior, craſſa, inferiore ſede nonnihil prominente, vti ferè in Colchico, fibris aliquot tenuibus donata, & foris nonnunquam fulueſcente, magna verò ex parte nigricante membrana obducta, quæ interiore parte lanuginoſa eſt, quemadmodum caſtanearum cortex, quandoque autem adeò denſo tomēto plena, vt molliſſimè recubet radix, quæ ſolida eſt, firma, & velut albumen oui coctum candida, guſtantique dulcis, nec ingrata.

Tulipa præcox. SVMMA *autem in* Café lalé *eſt coloris varietas: nec maiorem in vllo alio flore vidiſſe memini, niſi fortè in papauere. Etenim aut omnino luteus eſt, aut ruber, aut albus, aut purpureus: interdum etiam bini vel plures ex his in eodem flore permixti conſpiciuntur colores. Non deſunt qui cinerei omnino coloris, ſunt qui & cærulei vidiſſe ſe dicant: mihi verò hactenus videre non contigit.*

I. *Lutea Tulipa aut ad auri fulgorem accedit, aut pallet, foliorum autem vngues plerunque aurei ſunt; odor quaſi ceræ recentis, ſiue etiam croci, interdum nullus, vel admodum imbecillus.*

II. *Rubræ color nunc ſaturatior eſt, nunc dilutior & aſpectu iucundiſſimo, modò etiam inelegans & obſoletus: foliorum vngues vel lutei omnino, aut veluti leuis quædam fuligo luteum aſpergit: in quibuſdam nigra macula medium vnguem luteum tātùm inficit, in aliis verò magna, vt nihil niſi lutea quædam linea nigrum vnguem ambiens conſpiciatur: interdum adeò magni ſunt iſti vngues, vt dimidiam folij partem occupent. Huius verò odor alias gratus eſt inſtar mali aurei, magna verò ex parte obſcurus admodum, vel papaueris virus quodammodò referens.*

III. *Albæ omnino candidus eſt, niſi tria exteriora folia dorſ*

dorſo nonnihil cinerei coloris admiſtum habere viderẽtur: vngues lutei, pediculi & ſtamina pallent.

Purpurea aliàs ſaturatior eſt, & violaceum ſiue amæthiſtinum colorem habet, aliàs pæoniæ floris æmula, nonnunquam dilutior, & prouincialem (quam eruditiores præneſtinam vocant) roſam colore referens, interdum verò adeò diluta, vt albeſcere videatur: omniũ autem vngues cum ſtaminibus aut pallent, aut lutei ſunt coloris. Inuenitur & odora, & inodora. IIII.

Varia adeò multiplex eſt, vt difficile ſit omnes eius differentias verbis exprimere. Nam cùm cuiuſcunque tandem præcocis Tulipæ ſemina excuſſa, & tellure ſepulta germinent: perpauca admodum natiuum matris colorem retinent, ſed in varios colores transformant flores, maxima autem ex parte in luteum degenerant. Hinc fit vt alios partim albos, partim purpureos; alios partim rubros, partim luteos aut aureos; alios coloribus luteo ſiue rutilãte, albo, purpureo, aut rubro ſimul permixtis conſpicere liceat: ita tamen, vt ſinguli colores alioqui ſegregati, radiatim ſibi inuicem permiſceantur: & ij quidem aut intenſiores aut dilutiores, vel denſius aut rarius inter ſe commixti, nonnunquam etiam altero colore virgatim duntaxat, idq́; leuiter alium, per medium folium, aut ſummas oras, intercurſante. Omnes autem flores ſeſſili parte lutei ſunt, ſiue luteos habent vngues: & alij odorati, alij inodori. V.

In *Serotina tantam colorum differentiam non obſeruaui, ſed luteas ſolummodo & rubras.* Tulipa ſerotina.

Lutea cum præcoce eiuſdem coloris ferè conuenit, niſi quòd firmiore craſſioreq́; & longiore plerunq; ſit caule. Eadem odora inuenitur & inodora. I.

Rubræ color plerũq; ſaturatior eſt & quaſi nigricat: foliorum vngues aut lutei ſunt omnino vt in præcoce, II.

aut omnino nigri, vel macula nigra nunc minore nunc maiore luteum inficiente, nonnunquam etiam quaſi totum occupante. Firmior & hæc eſt, atq; altior præcoce: eademq; aut odora, aut inodora.

OMNIVM *autem cùm in præcoce tum in ſerotina florum folia ſunt extremo apice mucronato aut orbiculato: vel tria tantùm interiora orbiculata, exteriora mucronata, & è contrà.*

Quarundam etiam flores diutiſſimè in ſua coloris elegantia & venuſtate perdurant, aliarum verò magis caduci & breui marceſcentes: omnes certè nubilo cœlo ſeſe contrahunt, & pluuio facilè corrumpuntur, etiam ante quàm expandi poſſint: contrà, ſole illuſtrati ſeſe explicant, & diutiùs conſeruantur.

Tulipa variis modis ſeritur.

CÆTERVM *tametſi ſeminibus terræ mandatis, huius plantæ genus conſeruari ſoleat: interdum tamen & nucleis maiori bulbo (ſed rarò) adnatis propagatur: memini & bulbos inter folia enatos, qui terræ commiſſi, eiuſdem coloris cum matre plãtam produxerint, quemadmodum etiam nuclei matri adnati. Ex ſeminibus verò quæ fit propagatio, planè (vti dixi) incerta eſt.*

Solet caulis è medio bulbo erumpere: ſed ipſo cum foliis iam marcido & ſiccato, ſi bulbum eruas, ad latus ipſius bulbi ex baſi enatum conſpicies; nouo veluti bulbo paulatim ſuccreſcente, & totius plantæ ſuccum ad ſe recipiente, quo tempore commodiſſimè erui poteſt, & in alia loca transferri. Idem etiã euenit in Iride bulboſa, & aliis congeneribus.

σατύριον τρίφυλλον.

QVO *nomine veteribus dicta ſit hæc planta, multi dubitant. Sunt tamen peritiores nonnulli, qui ad Satyrium Dioſcoridis, quibuſdã τρίφυλλον cognominatum, referendum cenſeant: ad cuius ſanè deſcriptionem multis notis accedit. An verò iiſdem facultatibus cum*

Satyrio

Satyrio prædita ſit, neminem periculũ feciſſe intellexi.

Potuiſſet fortè ante aliquot annos Antuerpianus quidam mercator certi quidpiam ea de re ſtatuere. Is enim cùm horum bulborum non exiguum numerum ab amico vnà cum byſſinis pannis Conſtantinopoli ſibi miſſum accepiſſet, cepas eſſe exiſtimans, aliquot ex eis aſſari iuſſit, & vulgarium ceparum modo ex oleo & aceto in cœnam ſibi parari; reliquos in horto, inter braſſicas & alia olera defodit, vbi neglecti, omnes breui perierunt, præter paucos quos Georgius Rye mercator Machlinienſis, rei herbariæ perquam ſtudioſus ad ſe recepit: cuius ſanè diligentiæ & induſtriæ acceptum referre debemus, quòd eorum poſteà flores gratiſſima varietate ſpectabiles videre nobis licuerit.

De Bulbo Eriophoro.

HIC *eſt ille bulbus, cuius florem tam diu Belgium videre deſiderauit. Nam plurimis annis ſumma diligentia nobis iſtic excultus, vt in maximam amplitudinem excreſceret, & ſe mirum in modum adnatis propagaret, adhibita etiam omni cura, vt ad florum generationem perduceremus, nihil tamen efficere potuimus. Et poſtquam acceſſit illuſtrium quorundam Venetorum qui ad nos perſcripſerunt teſtimonium, eius florem (tametſi plus quàm decennium hunc bulbum in ſuis hortis coluerint) nunquam conſpexiſſe: factum eſt, vt ſterilem eſſe, neq; florem aut ſemen proferre arbitraremur, præſertim quando id vitium numeroſa nucleorum ſobole abundè compenſaret. Verùm aliter rem ſe habere, ſuperiore Maio deprehendi.*

Nam cùm præterita hyeme aliquot eius bulbos Muſcari *maioris nomine cum pleriſq; aliis rariſſimis*

 plantis,

Bulbus Eriophorus.



plantis, Conſtantinopoli rediens attuliſſet D. Philibertus de Bruxellis S. C. M^tis^ dapifer, & ex illis nonnullos pro noſtra amicitia mihi dediſſet, partem ipſe plantaui, partem clariſs. vir D. Joannes Aicholzius medicus & profeſſor Viennenſis: mihi omnes perierunt, illi verò duo egregiè creuerunt, alter etiam floruit non ſine ingenti mea lætitia, quam omnibus rei herbariæ ſtudioſis iſtius bulbi deſcriptione teſtatam eſſe volui.

SVNT ergo illi multa oblonga folia, Hyacinthinis ferè ſimilia, minus carnoſa & ſucculenta, duriora tamen, viridia, mucronata, ſapore ingrato, quibus minutiſſimè etiam confractis, tenuia quædam fila inſtar telæ aranearum diduci poſſunt. Ex horum medio caulis exit cubitalis aut amplior, rectus, Scillini caulis æmulus, læuis, nudus, vireſcens, ſuperiore verò parte ad cæruleum colorem tendens: in ſummo veluti oblongam ac denſam fert ſpicam in denos vel plures verſus diſtinctam, viridem primùm, ſed paulatim (dum ſeſe explicat in flores) cæruleum colorem contrahentem: conſtant flores ſenis foliolis ſtellatim expanſis, triangulo vmbone in medio protuberante, Hyacinthi autumnalis floribus propemodum ſimiles, inodori, colore cum ſuis pediculis cæruleo & internis ſtaminibus, quorum apices initiò purpurei ſunt, & vbi ſeſe explicarunt, veluti palleſcēte quadam farina aſperſi. Incipit florere ab imo, vti Scilla ſolet, & reliqui magna ex parte bulbi, qui flores racemi aut ſpicæ in modum confertos habent. Voluimus etiam ſemen obſeruare: ſed flores admodum caduci, ſtatim marceſcere cœperunt, & relictis in caule tantummodo pediculis deciderunt. Radix craſſa & bulboſa eſt, ex plurimis tunicis contexta, alba, tomentoſa, & veluti aranearum telis obſita, multos adnatos bulbos habens, & craſſis oblongisq; fibris nitens. Bulbus eriophorus.

Εριοφόρου *nomen huic bulbo inditum, ob tomenti copiam, quod lanæ modo in ſtamina diduci poteſt.*

Solus Theophraſtus inter veteres lib. 7. hiſtor. cap. 13. Eriophori meminit bulbi, eum in littoribus naſci, lanamq́ ſub primis tunicis habere, ex qua togæ & aliæ veſtes conficiantur.

Eius teſtimonium adfert Plin. lib. 21. Natur. hiſt. cap. 2. Addit Theophraſtus quod internum eſt in eo bulbo, mandi: cuius nullum fecimus periculum.

De Muſcati.

Ex *Conſtantinopoli primùm reliquæ Europæ communicata eſt etiam hæc planta, quæ ob ſuauiſſimum odorem ſilentio prætereunda minimè fuit.*

Muſcati. Habet *autem quina aut ſena oblonga folia, per terram diffuſa, & hac illac inflexa, caniculata, ſatis craſſa & ſucculenta, Hyacinthi primi Matthioli foliis perquàm ſimilia, quæ cùm primùm germinant, purpuraſcunt. Ex horum medio caulis vere erumpit ſatis craſſus, rotundus & nudus, ſed admodum infirmus pro ſua craſſitie: hunc à medio ferè ad ſummum racematim cohærentes ambiunt flores, vrceolis propemodum ſimiles, initiò interdum purpuraſcentes aut virides, deinde ex purpura virentes, aut ex virore albicantes, vel nigricantes, deindè pallidi, qui marceſcere incipientes gratiſſimum moſchi ferè odorem referunt. His ſuccedunt prægrandia, triquetra, & veluti pinnata capitula, in quibus ſemen continetur nigrum, rotundum, magnitudine Orobi, aut omnino fermè ſimile illi Hyacintho primo iam memorato, qui veluti comam ex cæruleo purpuraſcentibus ſtaminibus contextam ſummo caule gerit. Radix ſubeſt magna, albicans, multis tunicis*

ceparum

Muſcari.



ceparum more contexta, & frequentibus craſſis fibris ex ima ſede prodeuntibus firmata.

Ab imo flores aperire incipit, vti ſuperior.

AD *Hyacinthi genera proculdubio referri debet hæc planta, cuius primam notitiam ampliſſimo viro Iacobo Antonio Cortuſo acceptam referimus, qui eam illuſtri ac generoſo viro Dn. Ioanni de Brancion piæ memoriæ, ſummo meo amico, ante aliquot annos in Belgium miſit* Tibcadi *nomine.*

Tibcadi.

Clariſs. Matthiolus eius iconem exhibere videtur capite de Bulbo vomitorio, nulla tamen addita deſcriptione.

Conſtantinopoli verò ſemper miſſa fuit Muſcari *appellatione, ob inſignem videlicet odoris ſuauitatem, qui quodammodo ad moſchum accedere videtur, vel ad eorum potius paſtillorum fragrantiam, qui ex benjuin aliisq́ odoratis fieri ſolent.*


De Acoro.

Acorum legitimum.

ACORO *ſunt folia Iridis tenuifoliæ maioris, lõgiora multò, & elegantiſſimo virore nitentia, dorſo aliquantulum vtrinq́ extante, vt in Xyphij foliis, quorum formam admodum æmulantur, et illorum aut Iridis luteæ paluſtris modo alia ex aliis prodeunt, mediumq́ folium reliquis plerumq́ oblongius eſt: ſunt autem guſtu non ingrato, ſed amaricante, tritaq́ iucũdo & aromatico ſpirant odore. Sub hyemis initium marceſcunt & ſiccantur, primo autem vere noua germinant, quemadmodum in Iride anguſtifolia. tamen etiam ſiccata & exſucca odoris gratiam retinent. Radices illi ſunt oblongæ, foris candicantes, intus candidiſſimæ, frequenter ſed inæqualiter geniculatæ, firmæ, odoratæ, guſtu ſub-*

amaro

Acorum legitimum.



amaro & acri, innumeris parte inferiore adnatis fibris albicantibus: ſerpunt autem & ſumma tellure ſeſe diffundunt, atq; in obliquum aguntur, ex ſingulis ferè geniculis alternatim noua germina producentes.

SECVNDVS *nũc agitur annus, quòd ſummus imperator Maximilianus huius nominis ſecundus, dominus meus clementiſſimus, hanc plantam alat, à generoſis D. D. Augerio de Bousbecke, & Carolo Rym Cæſareis ad Turcarum imperatorem Oratoribus cum multis aliis rariſſimis plantis donatam: nunquam tamen florem, imò ne caulem quidem videre contigit.*

Retulit autem mihi idem D. Augerius, nullum, etiam vbi ſpontè naſcitur, vel florem vel ſemen proferre: ſed duntaxat quædam nucamenta, nucis Ponticæ iulis ſimilia, è ramulis ex læui caule prodeuntibus dependentia, quemadmodum diligentiſſimè obſeruarat doctiſſimus Quacelbenus, eius, dum Conſtantinopoli Oratorem ageret, medicus, quem in Bithyniam vſque huius plantæ cõquirendæ gratia ablegarat: quod etiam clariſs. Matthiolus ex eiuſdem Quacelbeni epiſtola in commentariis ſuis annotauit.

Acori natales.

NASCITVR *autem ingenti quodam lacu, ad radices montis præcelſi iuxta Pruſſiam Bithyniæ vrbem.*

VIRES *ac facultates Acori Dioſcorides, Galenus, & alij pleriq; ſatis latè perſecuti ſunt, ad quos lectorem remittimus.*

De Anemone

De Anemone pleno flore.

NEQVE *harum plantarum elegantia permittit, vt eas ſilentio prætercam. Vtraq; autem ad Anemones genera referenda.*

PRIOR *multa ex vna radice promit folia, Anemoni latifoliæ flore purpureo, aut Saniculæ haud multũ diſſimilia, dura, neruoſa, in tres lacinias profundiores diuiſa, deinde per ambitum ſerrata, ſupernè nigricantia, infernè candidiora, ſapore feruidiſſimo, &, ſi guſtentur, illicò linguam vrente, ante hyemem etiam germinantia, quemadmodum in reliquis Anemones generibus. Inter hæc caulis vnus aut alter prodit palmaris, nonnunquam etiam pedalis, nudus, ſubhirſutus, qui circa cacumen tria exigua folia ab eodẽ ferè exortu prodeuntia, & ſimul caulem amplectentia profert, deinde in ſummo magnum ac latè expanſum florem, numeroſis foliis conſtantem, quorum externa & maxima dena aut duodena colore viridi ſunt, interna verò minora & anguſtiora, dilutiore purpura nitentia, circa vmbilicum ſimul glomerata. Radix craſſa, & in aliquot capita extuberans Anemones latifoliæ purpureæ modo, foris nigra & ſcabra, intus alba & ſolida, guſtu ingrato & fauces coarctante, multis tenuibus fibris capillata.* Anemone latifolia flore multiplici

ALTERA, *quina, ſena, aut plura habet folia multifida, & Oenanthes primæ, ſiue Bulbocaſtani ferè modo, in multas tenues lacinias diuiſa, dilutiore colore quàm ſuperioris virentia; caulem etiam pedalem priori ſimilem, ſed non æquè craſſum, quem item circa ſummum tria tenuiùs inciſa ambiunt foliola, florem etiam (quemadmodum in omnibus Anemones generibus) ante quàm aperiatur occulentia, qui ſummo cauli inſidẽs, ſuccreſcente caule explicatur in dena aut plura folia hirſuta,* Anemone tenuifolia flore multiplici.


Anemone latifolia flore multiplici.



Anemones latifoliæ flos multiplex.



Anemone tenuifolia flore multiplici.



hirſuta, latiuſcula, & maiuſcula cocci modo rubentia, quæ numeroſa tenuiaq; foliola Bellidis multiplicis flori perquàm ſimilia, & colore coccineo ſaturatiore, amplectuntur. Radix non multum à ſuperiore diſcrepans, oblongior paulò, foris etiam rugoſa, nigricans, & tenuibus capillamentis fibrata, intus verò candida, & eiuſdem cum ſuperiore guſtus.

Iſtius etiam meminimus ſecundo noſtrarum Hiſpanicarum obſeruationum libro: ſed cùm hoc anno nobis pulcherrimè floruerit, non potui illam ſuperiori non coniungere cum ſua icone paulò accuratiùs expreſſa.

VTRAQVE *vere floret cum aliis Anemones generibus: quarum viribus proculdubiò etiam reſpondent. In neutra autem ſemen obſeruaui, & haud ſcio an ſeminiferæ ſint.*

CONSTANTINOPOLI *anno ſuperiore ad nos ſunt delatæ* Giul catamér *nomine: lingua autem Turcica* catamér *ſiue* catemér *plenum ſeu multiplicem ſignificare, ab iis qui iſtic diu vixerunt, intellexi.* Giul catamér.

Quòd ſi Anemones aliquod genus ad Adonidis florem Ouidio lib. 10. Metamorph. deſcriptum referendum eſt, nullum hactenus conſpicere mihi licuit, quod eius deſcriptioni proximius accedat, quàm quod hîc exhibemus: etenim ſanguini concolorem habet florẽ, ſiue ſucco præmaturi mali punici, eius præſertim quod dulci ſeu vinoſo ſucco præditum eſt. Adonidis flos.

De Ranun-

De Ranunculo Conſtantinopolitano.

Ranunculus Conſtantinopolitanus

PEDALEM *habet caulem, in duos aut plures ramos diuiſum, quorum extremitatibus inſident flores magni, multipliciq; foliorum glomeratione conſtantes (vt in Ranunculo vulgari tuberoſo flore multiplici) ſed pulcherrimo cocci colore rubentes: folia circa radicem quina aut ſena diluto virore nitentia, media forma inter paluſtris & echinati Ranunculorum folia: quæ verò per caulem ſparſa ſunt, minora, nec adeò inciſa, nec admodum frequentia: multæ illi radices ſimul congeſtæ, Luſitanici Ranunculi radicibus perſimiles, aſphodeliformes, flaueſcentes.*

HVIC *Ranunculo Conſtantinopolitani cognomen addidi, quòd iſtic quibuſdam hortis inueniri intellexerim. Certè huius iconem viuis coloribus expreſſam mihi liberaliſſimè communicauit generoſus Dn. Carolus Rym, Cæſaris Maximiliani* II. *Auguſti Conſiliarius, Conſtantinopoli rediens.*

Cuius verò ſit temperamenti, affirmare non auſim: veriſimile autem eſt, iiſdem facultatibus eſſe præditum cum aliis Ranunculi ſpeciebus.

FINIS.

Ranunculus Conſtantinopolitanus.



INDEX PRIOR

STIRPIVM QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Abies marina Belgica, pagina 27
Abies marina Theophraſti 26
Abrotonum fem. Salm. 1. 2. 230, 231
Acacalis 120
Acarne Theoph. 451
ἀχίλλειον 370 ἄκοπος 189
Acorum 520, & 522
ἄκυλον Acylon 33
Adonidis flos 527
ἀείζωον τὸ μέγα 122
ἀγριέλαια 49 ἄγρωστις 497
αἰγύπτιος ἢ πόντικος κύαμος 301
αἰτώλιος 173
Aiuga adulterina 481
Alaternus I. 56
Alaternus II. ibid.
Albucum Plin. 297
ἁλικάκαβον 402
Aloë America 442
Alſine repens 413. corniculata 415
Althæa 90 & 92
Alypum 179, & 486
Alyſſon Galeni 386
ἀμάραντος 367
Ambroſia 228
ἀμυγδαλοειδὴς 437
Anabaſis 187
Anagyris, ἀνάγυρος 187, & 189
ἀνδράχνη ἀγρία 439
Androſace 186
Anemone, ἀνεμώνη, & eius diuerſæ ſpecies, 306, 308; 311, 313, & 523
ἀνθερικὸν 297
Anthyllis 479, & 481
Apocynon, ἀπόκυνον, & Apocynus 223, 224, & 225
ἀπόλινος 173
Arbor ſancta 55 Arbor vitæ 94
Arbor Filici ſimilis 98
Arbutus 76 ἀρκτοστάφυλος 80
Aris Plin. 304
Ariſarum, & eius ſpecies, 302, & 304
Ariſtolochia ἀριστολοχία, & eius ſpecies 317, 319, 321, 323, & 325
Artemiſia 227
Aſpalathus & eius ſpecies 208, & 210
Aſparagus & eius ſpecies 462
Aſphodelus ἀσφόδελος & eius ſpecies 294, 295, & 297
Aſter Atticus ἀστὴρ ἀττικὸς 380, & 381
Aſtragalus & eius ſpecies 460, 466, 468, & 469

Aurelia 367
Auricula muris 417

BAccharis 378
Beſaſa Syrorum 426
Bolbina 260
βουζώνιον 381
Braſſica campeſtris 409
Bruta Plinij 98
Bryi genus 25
Bulbine Plinij 269
Bulbus Eriophorus 515

CAnna Indica recentiorum 328
Cantabrica 385,& 386
Capnos tenuifolia 374
Carlina ſilueſtris minor 451
Caſia quorundam 181
Caucon 187
Cauda Vulpina 187
Cedrus Lycia 104
Cedrus minor Phœnicea 101
Centauriũ, & eius ſpecies 355, & 357
Ceratia 44
Cercis Theoph. ibid.
Cerinthe quorundam 410
κερώνια 44 κέτξος 173
Chamædaphne 80
Chamægeniſta peregrina 208
Chamelæa, χαμέλαια 169,171, & 173
Chamelæon Salmantic. 449
Chamæſyce, χαμαισύκη 441, & 442
χαρακίας 437
χρυσάνθεμον, & Chryſanthemũ Valentinum 367,& 368
Chryſocome 367
Cinnabaris Dioſcor. 15
κίσσαρον, κίθαρον 140
κίστος, Ciſtus & eius ſpecies 134, 140, 143, 146, 149, 153, 155
Clematis Dioſcor. & eius ſpecies 221
κνείδιος κόκκος 173
κνέωρος & κνέωρον 173,183
Cnicus alter 453
κώβιος 437
Coccum 35
Coccus infectoria ibid.
Cocci ilex ibid.
Coccus Pauſaniæ 36
Cocci baphicæ hiſtoria 36
Cocci parandi ratio 38
Colocaſia 299,& 301
Colchicum & eius ſpecies 266
Colytea Theoph. 44
κόμαρος 78 κομήτης 437
Condrilla & eius ſpecies 376, 417,& 419
Conſolida aurea 153
Conuoluolus folio Althææ 383
Conyza κόνυζα, & eius ſpecies 376,& 378
Coris quorundam 485
Corruda & eius ſpecies 457, & 460
κότινος 49 Cotyledon 332
Crocus & eius ſpecies 258,260, 262,& 264
Croton 186
Cupreſſus marina Belgica 27
Cyclaminus altera Dioſcor. 413
Cyix 260
κυνοκραμβὴ 225
Cynogloſſum fortè 488
Cytiſus & eius ſpecies 190,193

DActylus 497
δάφνη ἀγρία 84
Dentilaria 433

Dit,

Dit, arbor 44
Dorycnium Hiſpanicum 201
Dorycnio congener planta 203
Draco arbor 11

ELæprinos 59
Ελαια ἥμερος 47
Eleagnus Theoph. 54
ἐλειόχρυσον 367
Elichryſon, ἑλίχρυσον 366, & 367
Ephedra 187
Erica, & eius ſpecies 107, & 108
Erinacea 213
ἕρπυλλος ἄγριος & ζυγὶς Dioſcor. 238
Eruca peregrina 420
Eryngium Vegetij 448
Pumilum 457

FAba Aegyptia 301
Fabago arbor 42
Fremium 313
Frutex coronarius 124

GAdenſis arbor Poſidonij 13
Geniſta tinctoria 199
Geniſta Plinij 203
Gentianella verna minor 353
Glans vnguentaria 126
Glaux 469
Gluten albotin 89
Glycyrrhizon 448
Gramen 497
Gramen Amourettes 500
Granum viride 89
Granum cnidium 173

HAlicacabum Plinij 402
Halimus & eius ſpecies 65, 72, & 74
Harmala 424, & 426
Haſtula regia 297
Helenium Aegyptium 471
Helioſcopium Plinij 395
Heliotropium minus tricoccū 395 Supinum ibid.
Helyanthemon 153
Hemerocallis 289
Valentina 287
Hemionitis peregrina 493
Heptaphyllon 489
Herba S. Antonij 433
Hippogloſſon Valentinum 179
Holeſtion Dioſcoridis 488
Holoſteum Salmanticum, prius & alterum 486
Hyacinthus & eius ſpecies 269
Hypecoon 406
Hypericum ſupinum 427
Hypociſtis & eius ſpecies 134, 143, & 161
Hys Galatarum 36

IAcea lutea 362
Iange 213
Iaſione 383
ἱερὰ βοτάνη 372
Ilex maior 31
Ilex coccigera 33
Inguinalis 381
Iouis barba arbor 53
Iris, & eius variæ ſpecies 273, 276, & 282, 284, 285, 286, 287
Iſchæmon 497
Iudæ arbor flore albo 42
Eius hiſtoria ibid.
Herba Iudaica 389
Iujubæ officinarum 52
Iuncaria Salmanticenſis 502
Iuniperus maior 99

LAcryma Iob 499
Lactaria & Lactuca caprina 337
Lada 168
λάδανον, Ladanum ibid.
Ladani colligendi ratio 168
Laudanum offic. ibid.
Lauendula multifido folio 234
Laurus ſiluatica 80
λῆδον, Ledon, & eius variæ ſpecies 157, 159, 161, 164, & 168
λειμώνια Theoph. 306
Lentiſcus 84
Lepidium 433
Leucoium, & eius ſpecies 271, & 333
Lilac 126
Limodorum 199
Linaria & eius ſpecies 349, & 350
Linterna 59
Linum ſilueſtre & eius ſpecies 352, & 353
Lirium alterum 255
Lotus, & eius ſpecies 52, & 55
Lychnis ſilueſtris 335
λυχνῖτις 380
Lycium quorundam 71

MAndragora femina 400
Maru, vel Almaru Auicen. 412
Maſtiche 86
Maſtix offic. ibid.
μήκων κερατῖτις 406
Medica marina 471
μεμαίκυλον 78
Memitha 412
Moly Dioſcor. & Theophr. 256
Indicum 258
Montanum 424, & 426
Molybdæna 433
Morion Plin. 402
Murina ſpina 462
Muſcari 519
Muſcus terreſtris 495
Myrica ſatiua 106 ſilueſtris 104
Myricæ galla 106
μυρσίνη 133
Myrte ibid.
Myrtillus officinarum 80
Myrtus, & eius variæ ſpecies 127, 128, 131, 132, 133

NArciſſus, & eius ſpecies 245, 246, 249, 251, 254
Naſturtium ſilueſtre Valentinum 422
νευρὰς 215

OCulus Chriſti 381
Ocymaſtrum Valentinũ 391
Olea ſatiua 45
Oleaſter ſiue ſilueſtris olea 48, & 65
Oleæ hiſtoria 45
Oleaſtri hiſtoria 47
Oleum de cade 104
Oliua alba 45
Oliuæ legendæ tempus ibid.
Onobrichis quorundam 468
Opition 261
Orobathion 143
Oſiris fortè Plinij 181
Oxyacantha 65
Oxycedrus 102 ὀξυμυρσίνη 133
Oxys flore luteo 475
PAEderos Pauſaniæ 230
παγκράτιον ἢ σκίλλα 291

Pan-

Pancratium 289,& 292
Panax chironium 153
Papauer corniculatum 403
Paronychia Hiſpanica 477
πήγανον ὄρεινον καὶ ἄγριον 424, & 426
Peplis 439
Periclymenum rectum & eius ſpecies 92,& 94
Perſea arbor & eius ſpecies 16, 17,18
φέλλος 29
πέπλιον Hippocr. 439
Phenion 313
Philyca Theoph. 59
Phillyrea,& eius ſpecies 60,62, & 63
Phlomis lychnitis 378
Phyllitis laciniata 491
peregrina 493
Phyllum marificum & feminificum 397
Pimpinella ſpinoſa 217
Pinaſter & eius ſpecies 39
Pinus ſilueſter 38
Piſtolochia 325
Pityidæ quid 39
Placida Gazæ 19
Plantaginis anguſtifoliæ genus 488
Plumbago quorundam 433
Polium, πόλιον, & eius ſpecies 241,& 244
Polygala, & eius ſpecies 196, & 198
Polygonum & eius ſpecies 181, 183,& 477
πολύῤῥιζον 327
Polytricha 462
Poterium, ποτήριον 215
Portulaca marina 75
πράσιον 239
πρῖνος 33
Pſeudo-narciſſus maior 255
multiplex 256
Pulicaria 378
πυρὸς ἄχνη 173

Quercus, & eius ſpecies 19, 25,& 26
Quiſquilium 35

Ranunculus autumnalis & eius ſpecies 315,317, 526
Reſina lentiſcina 86
ῥητίνη τερμινθίνη 89
ῥητίνη σχινίνη 86
Rhamnus & eius ſpecies 66,& 69
ῥόδενδρον ἢ κύλινος 143
Robur, & eius ſpecies 19,21, 22,23,& 25
Rubia marina 463
Rubus Idæus Valentinus 220
Ruta montana 422
Pythagoræ 424
Silueſtris 426
Silueſtris Dioſc. 427

Sabina 97
Sabina baccifera 101
Sanamunda & eius ſpecies 174, & 177.
Sanguis Draconis 13, 14, & 15
Satyrium Dioſcor. 514
σατύριον τρίφυλλον 154
Scabioſa Hiſpanica maior & minor 364,& 366

Scãmonea Valentina & Mompeliana 225
Scilla & eius ſpecies 289, & 292
σχῖνος 86
Scolimus Dioſcoridis 449
Theophraſti 446
Scorpius 211
σκορπίουρος 393
Sedũ & eius ſpecies 121, & 122
Selinum peregrinum 431
Serpyllum Zygis 238
Seſeli Maſſilienſe 432
Sideritis heraclea 389
Siliqua ſilueſtris 42
Silybum Salmanticenſium 448
σισυρίγχιον Theoph. 282
Siſyrichiõ maius & minus 279, & 280
Smilax & eius ſpecies 218, & 220
Solanum ſomniferum 402
Sparganium Plaçæ 254
Spartum, & eius ſpecies 203, 206, 406, 504, & 506
Splenion 495
στιχὰς, στιχὰς 234
Stœbe Salmantica, prior & altera 359
Stœchas, & eius ſpecies 232
Stratiotes lutea 370
στρατιώτης ὁ χιλιόφυλλος 370
Suber & eius ſpecies 27, 28, 29
Et eius hiſtoria 30
συκῆ 442
Sycomorus 55
Syringa & eius ſpecies 124, 125, & 126

TAmariſcus officin. 107
Tamarix ibid.
Telephium Hiſpanicum 330
Terebinthus Indica 87
Mas & femina ibid.
τέρμινθον 89
Teucrium Bæticum 228
Thapſia latifolia 429 Salmanticenſis 431
Thya Theophr. 97
Thymelæa 171
Thymum legitimum 236
θύμος Dioſcoridis 237
Thymum durius ſiue Plinij 237
θραύλις 380
Tinus & eius ſpecies 80, & 81
Tithymalus & eius ſpecies 435, 436, & 437
Tragacantha altera 215
τραγορίγανος 239
Tragoriganum & eius ſpecies 238
Tragum ſiue traganum 186
τρίβολος χερσαῖος 465
Tribulus terreſtris ibid.
Trifolium Salmanticenſe 473
Tuberes 51
Tulipa & eius ſpecies 510, 512, & 513
Tulipa variis modis ſeritur 514

VErbaſcum ſilueſtre 380
Verbenaca ſupina 372
Verrucaria 393
Veſicularum in terebintho vſus 90
Viſcum oxycedri 102
Viſcum in oleis naſcens baccis purpureis 47
Vitis Idæa Theophr. 80

Vmbilicus Veneris 332
Vnedo 78
Vua marina vulgaris 183
Vua vrſi 78
ZI'ζυφα & ζίνζυφα 52
Zizypha & zizyphus & eius variæ ſpecies 49, 52, & 53.

ALTER INDEX STIRPIVM

PEREGRINIS, HISPANICIS ET ALIIS VVLGARIBVS LINGVIS EXPRESSARVM NOMENCLATVRAM CONTINENS.

ABhel 97
Abrojos 465
Açofeifo 52
Açuçenas amarillas 255
Adorna 65
Ajunjera 419
Alader 65
Alatrerna 59
Albardin, Alabardas 506
Alcolcaz 299
Alcornoque 29
Alfabeca 466
Algarouo loco, arbol 42
Algarouo & garouo 45
Alichrin Frances 234
Allega-caon 220
Almaſtiga 86
Altamiza 244
Amapolas moradas 406
Amores mios 289
Amotes 299
Arayhan, & Arayhan Moriſco 133
Arbol d'amor 44
Arbol parayſo 54, & 55
Arbouſes 78
Arbouſier ibid.
Arbre de vie 98
Ardiuieja 161
Arnaballo 437
Arueira 86
Arzolla 364
Aſcolimbros 448
Aſpergates 506
Aſprilla 479
Atorga 120
Aulaga 210
Azadarac 54
Azebo 65
Azebuche, azuche 49
Azedaraeth, arb. 55
Azeytuna, azeyte 47
Azeyte de mata 86
BAtatas 297
Belcho 186
Beleſa 433
Bellota, abillota 33
Bobas 381

Boga, boxa blanca 193
Boža 226
Breço 120
Bruyere ibid.
Burhalaga 177

Cabeçuela 562
Cade 104
C,adorija 498
Café lalé 510
C,amarilla 244
Camarinhera, camarinhas 120
Camotes 299
Campanilla 255,& 381
Cañaheja 429
Cancafon 258
Cantueſſo 234
Caraſca 35
C,arça-parilla 220,& 327
Cardon 444, Cardon lechal, ſiue lechar 448
Carouges 45
Carra 400
Caſca 59
Cauala lalé 510
Cebolla albarrana 292
Cebolla de culebra 297
Cebollina 254,& 260
Chermaſel 106
Chermes 35
Cogombrillos amargos 426
Collejon 410
Conzanbac 289
Coquelourdes, Coclez 315
Coraçonçillo 427
Corcha de alcornoque 29
Cornicabra 89
Coroñilla de frayles 179
Coroñilla del rey 198
Coſcoja 35
Cuentas 330
C,umillo 429

Dalader 59
Dit, arbor 44
Durillo 84

Enebro 104
Enſayon 122
Enxalmos 432
Enzina 33
Eoule, ou cheſne verd 33
Erizo 213
Eſcabon 196
Eſtepa 138,& 157
Eulalia 210

Fauterne 327
Filiguero 59
Fil y agulla 444
Follado 84
Frailillos 304

Gamarſa 426
Gamonçillos 297
Gamones ibid.
Garauançillos 466
Garouo 45
Garoupe 171
Giglio marino 289
Giul catamér 527
Giul catamer lalé 313
Gramen Amourettes 499
Grana de tintoreros 35
Graine, vel graine d'eſcarlate 35
Guainier arb. 44
Guardalobo 181
Guindolier 52

Hallada 210
Halm 506
Herua crina 481
Herua de S. Lorenzo 468
Hinieſta 206
Heyden 120

Heyden yſſop 153
IAro 304
Iletro 59
Inhame 299
Ionc marin 213
Iujubier blanc 54
Iunquerina 419
Iunquillos blancos 254

LAgrimas de Moyſen 499
Larmes de noſtre Dame 499
Lauro ſaluatico 84
Leche trezna 437
Lemerinha 120
Lentagine 84
Lentejuëla 198
Lentiſco 65
Lentiſque 86
Liege Bellonij 29
Linterna 59
Lirio, lirio eſpadañal, lirios azules, lirio Illyrico, lirio blãco 254, 278, 280

MAçucas 280
Madroño, madroños 78
Maguey & Metl. 444
Mamay 17, & 19
Mançanilla 367
Manta de nueſtra Señora 299
Mariſma 75
Mata 86
Matulera 380
Miſcaijn 367
Merenderas 266
Miera 104
Mierda cruz 174
Mijediega 201
Moleſſo 84
Molino 213
Montan 315
Mouges 140
Muſcari 520
Myrta 133

NArciſſo de Seuilla 254
Narciſſes ibidem
Nogueruela 442
Nozelhas 280
Nozelhas pequeñas 260

OCpatli 445
Oliuaſtre 54
Oliuier, oliue 47
Oliuier ſauuaige 49
Oliuilla 171
Oliuo 47
Oruale 402
Oſſuna 244

PAlomilla, palomina 374
Paſſefleurs 315
Perdiguera 153
Perlaro 55
Piadera 65
Pie de borro 264
Pincel 486
Pino carax 39

QVirihuëla, queiro 120
Quiruëla, quiriuëla 149
Quita meriendas 266

RApontis 357
Raſins de mar 186
Recama 220
Retama 183, & 206
Reylla buey 278
Roble 19
Romero 164
Romero marino 367
Roſella 138
Roſeta 406

Ruda 424

SAlengre 54
Salguedeiras 75
Sarilla 239
Sarraſine 325
Sanguenho 59
Sanguin blanc 59
Scambrones 69
Scoba 199
Scoba hedionda 367
Scobas 206
Segullada 179
Semper-noua 355
Serbin 101
Siempre enxuta 179
Sparto 504
Spina borda 448
Spino, Spino negro 69

TAmoxo 72
Tamujo, ſiue tamuexo 71
Tamariſque 107
Taray ibidem
Terebinthe 89
Tetrahil 389
Tibcadi 520
Tomillo 234
Tomillo perruno 231
Tomillo ſalſero 237
Toñada 254
Tornaſol 395
Toruiſco 173
Trebol de prados 473
Tuero 431
Turmeruela 168
Turmera 153

VAſillos 332
Verdeſilla 383
Vermillon 35
Villorita 260
Vrs, vrgueira 120
Vua de Perro 84, & 220

XAguarça 159
Xaguarço 164
Xara, Xarguna, Xaron & Xara-eſtepa 140, 157, & 159
Xarueca 86

Y.

YErua de S. Guiteria 400, & 417
Yerua puntera 122
Yerua del quadrillo 153
Yerua tora 199
Ynieſta 206
Yua Moſchata 481

FINIS.

Hiſtoria Stirpium his duobus libris conſcripta, auctore Carolo Cluſio, nihil habet mali, aut S. Romanæ Eccleſiæ fidei contrarium: quod atteſtor

Sebaſtianus Baer Delphius Cathed. Eccleſiæ S. Mariæ Hantuerpien. Canonicus & Plebanus.

ANTVERPIÆ
EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS
ARCHITYPOGRAPHVS REGIVS, ANNO
cIↄ. Iↄ. LXXVI. QVARTO
KALEND. MARTII.

C574c
M735d